Johann Nicolai Madvig

Adversaria Critica ad sciptores graecos et latinos

Antiquariat auf Datenträger

Edition Ruprecht

Adversaria Critica ad sciptores graecos et latinos von Johann Nicolai Madvig

Band 1

Digitalisierung
Duehrkohp & Radicke

Edition Ruprecht 2007
Edition Ruprecht

Præmonitum et Addenda.

De huius operis consilio et forma quoniam in proœmio satis dictum est, tantum monendi hoc loco sunt, qui evolvent, (— neque enim quisquam præter libri primi capita duo aut tria continuum perleget —) typis id describi cœptum esse, nondum tota materia sic composita et digesta, ut numerari posset, quod in hoc scribendi genere necessarium non erat, extremo anno 1868 deinde, septem plagulis absolutis, in quibus si quæ temporum notationes sunt, ad illum annum referuntur, intervenisse a. 1869 iter Italicum et Helveticum; cum redux telam inceptam pertexere aggrederer, brevi apparuisse, tantam esse materiam, ut in unum volumen cogi non posset. Itaque hac parte continentur, præter librum primum ad utrasque litteras antiquas æqualiter pertinentem, ea, quæ in Græcorum scriptorum monumentis emendavi; quæ ad Latinos collecta habeo, alterum volumen explebunt, si animi patientia perdurabit; sane enim speraveram celerius me ex his minutiis evasurum. Indices huic volumini suos adiunxi. Quod prævideram (p. 5, 6) fore, ut, quamvis permulta, in quæ ipse incidissem, sustulissem, quod antea ab aliis inventa essent, tamen in

nonnulla incurrerem ab aliis præcepta, id in primis plagulis sæpius accidit, ubi editiones aliquot scriptorum recentissimas nondum inspexeram, sed ne postea quidem evitari potuit. Itaque hic bona fide aliis restituam, quæ eorum esse sero cognovi. Inde a libro tertio, ubi inter errorum typothetæ corrigendorum operam animadversum est (plerumque a iuvene docto et amico, qui mihi in hac re benevolam et diligentem operam commodavit, *Richardo Christensen*), aliquid ab alio ante inventum esse, sed tam sero, ut iam tolli sine magna molestia non posset, fere statim adscriptum rei indicium est, ut p. 411, 469, 489 cet. Itaque eos locos hic omitto. Perpauca alius generis addam typorumque errores aliquot corrigam.

P. 2 *v. imo (text.) pro* is *scrib.* iis

7 v. 8 *ab imo scrib.* disputationes afferri,

11 v. 22 *scrib.* in contextu

18 v. 13. Velleii locum correxit iam Mommsenius (Haasius ed. 2).

22 v. 10 *scrib.* cum fallentibus ex intervallo

24 v. 4. *Ἐξινοῖτο* apud Strabonem iam Meinekius in præfat.

26 *not. v.* 2 *pro* 56 F *scrib.* 567 F

32 v. 4. Luciani locum eodem modo correxit G. Dindorfius.

43 v. 2 ab imo. Herod. I, 167 iam Kruegerus et alii similiter correxerunt.

45 v. 13 Quintiliani utrumque locum emendavit e codd. Halmius, cuius editio his demum impressis a. 1868 exeunte ad nos pervenit.

63 v. 6. Plutarchi locum eodem modo emendavit Cobetus.

67 n. 2. Cum hac nota coniungenda, quæ ad Thucyd. II, 83 scripsi p. 312; add. Plat. legg. IV p. 718 D, Diod. Sic. XV, 49 et 53, Strab. II p. 96, Plut. Arat. c. 34, Lucian. nav. c. 17, Paus. X, 2, 5, cet.

68 v. 6 *pro* et *scrib.* tum

71 v. 3 *ab imo scr.* 800;

74 v. 25. *Capti gentis* pro *caput gentis* codex Med. Taciti ann. XIII, 39.

84 v. 3 *pro* I *scrib.* II

85 v. 5. *Ἔδωκαν* legitur tamen anab. VII, 7, 37, *παρέδωκαν* Hellen. IV, 4, 15.

130 im. (text.). De voc. *ἀδρός* cfr. Diodori fr. XXXI, 17 a Dind.

145 post v. 6. Nomina propria oblitterata præter locos hic positos notavi et restitui apud Diod. Sic. XVII, 95, XVIII, 3 et 52, Strabon. X p. 471 (III p. 151), Plut. Brut. c. 4; falso positum sustuli Plut. Thes. c. 27.

174 not. v. 11 et 12. *Φήσειν* et (XXIV, 68) *ἂν... ὁμολογῆσαι* Dindorfius; *ποιήσασθαι* in XLII, 12 reliquit.

175 v. 24. Iam Dindorfius *γενήσεσθαι* apud Lucianum scripsit.

177 v. 12. Quod annotavi de aliis præter *χρῆν* vaticinandi verbis apud poetas cum aoristo infinitivi positis, fit etiam in *πέπρωται* in Æschyli fragm. Promethei, qui solvitur, 196.

178 n. 2. *Ἐλπίς ἐστιν* cum aoristo infinitivi Demosth. Philipp. I, 2, Olynth. I, 14, in Aristocr. 106.

180 v. 10. Apud Lysiam, II, 21 cod. Palatinus, teste Kaysero, recte *δουλώσεσθαι*.

182 v. 7. In Herod. IX, 109 Steinius e cod. Sancroft. *αἰτήσεσθαι*.

184. In Luciani locis vera tenuit aut restituit Dindorfius, nisi quod nav. c. 4 non correxit.

220. In Sophoclis Œd. Col. 367 *ἔρως* pro *ἔρις* iam Tyrwhittus.

238 v. 6 *scrib.* detulit.

244 *v. imo scrib. τόδε.*

263 v. 14. In Iphig. T. v. 1393 iam Piersonus *ἐπείχετο* scribi iussit.

306. Paucitatem et tenuitatem emendationum Herodotearum minuent duæ, quas absoluta iam hac parte libri mecum a Siesbyio meo communicatas hic ponam. Nam VII, 10, 6 *ἐπειχθῆναι πᾶν πρῆγμα* pro eo, quod est: *τὸ ἐπείγεσθαι ἐν παντὶ πράγματι* accipi recte nequit: rectissime contra et aptissime dicitur: *ἐπειχθὲν μέν νυν πᾶν πρῆγμα τίκτει σφάλματα* (*festinanter acta et tractata omnis res cet.*); eiusdem autem libri c. 119 (*τὸ γὰρ δεῖπνον τοιόνδε τι ἐγένετο, οἷα ἐκ πολλοῦ χρόνου προειρημένον καὶ περὶ πολλοῦ ποιεύμενον*) prorsus contra usum et sine exemplo res, quæ accurate et diligenter fit, dicitur (passive) *περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι*. Duæ res notantur, cœnæ denuntiatio ante facta et hominum studium et cura: *οἷα ἐκ πολλοῦ χρ. προειρημένον καὶ περὶ πολλοῦ ποιευμένων*.

306 v. 5 ab imo. In Thucydide nescio qua incuria aut instabilitate consilii omissa est locorum extra ordinem alibi tractatorum mentio (etiam memorabilium, ut III, 38 et

VIII, 46); itaque indicem v. *Thucydides* adhiberi pervelim.

315 v. 8. De μεῖναι cfr. μὲν εἶναι scriptum pro μεῖναι apud Strabonem VIII p. 333.

326 v. 10. De δεῖ post δέ aut δή omisso cfr. Plat. legg. X p. 908 A, XI p. 930 A.

338 n. Aristidis locus reperitur I p. 312 ed. Iebb.

368 *v. imo scrib.* ἐστερῆσθαι.

375 v. 12. Luciani loco addendus alter Phalar. I c. 8.

453 et 454. Quæ correxi in Lysiæ X, 4. XXI, 17. XXVI, 14. XXVII, 14, præcepta sunt ab E Zielio, Emperio, Scheibio, Kaysero.

455. Æschinis locum III, 201 iam Hamakerus correxit; Dinarcho I, 25 eandem fere emendationem adhibuit I. G. Schneiderus.

483. Polybii locum XXXI, 17 a eodem, quo ego volui, modo scriptum habet Dindorfius (1868).

510. In Diod. Sic. XIX, 17 Dindorfius συνενόησεν, eadem sententia.

554 v. 6. Meinekius in præfat.: ἐπι[μελεῖ] μηδέ? Sed μηδέ ferri nequit et in eo latet alterum.

566. Plutarch. Thes. c. 7. Iam Sintenisius: αὐτός?

568. Plut. Lyc. c. 13: νομιζόμενα iam Sinten. in præf.

571. In Plutarchi c. Sol. 21 vellem intactum reliquisse λογισμὸν ἀνθρώπου. Utrumque recte dicitur.

589 n. Inter vocabula nova addendum ἔκστρεμμα, restitutum Plutarcho de profect. in virt. c. 11.

627. Apud Plutarchum de fort. Rom. c. 3 scribendum: παρατεῖ (pro παρέχει) δέ τι καὶ τῷ προσώπῳ πρὸς τὴν ἄμιλλαν ἐρύθημα τῆς φιλοτιμίας aut simili verbo.

628 v. 8. De fort. Rom. c. 13 p. 326 B miro errore Wyttenbachii coniecturam a Duebnero a. 1856 receptam pro codicum et editionum scriptura accepi, in quibus recte scribitur, nisi quod post ἀληθῶς geminando additur ὡς (ὡς ἀληθῶς ὡς ἐπί).

644 *v. 5 ab imo scrib.* ἐπαγαγὼν.

Cal. Novembr. MDCCCLXX.

PROŒMIUM.

Opus ordior neque argumenti splendore commendabile neque dicendi ornamentis opportunum neque materiæ dispositione et ordine artificiosum, humile totum et simplex, iis tamen, ut opinor, qui in Græcis Latinisque litteris studia paulo intentius ponunt, non inutile nec prorsus iniucundum. Quæ enim mihi quadraginta iam annos in his litteris tradendis occupato veterumque scriptorum utriusque linguæ libros assidue versanti diligenterque et attente tractanti subnata est præter ea, quæ iam eiusdem generis edidi, copia emendationum coniectura repertarum, sed coniectura codicum vestigia rimanti et presse cauteque sequenti, ampla et ad multos et principes et inferioris gradus scriptores pertinens, eam decrevi, quoniam animus iam his studiorum angustiis et minutiis fessus per alia, etiam extra philologiam, liberius evagari et in iis, quicquid sexaginta quattuor annos supergresso concedetur temporis, ponere avet, collectam quam brevissime potero et quam minime ambitiose edere. Nam neque indigna editione, quæ domi hactenus servavi, ut in hoc genere, videntur, neque, si quid in iis est utilitatis, cur usum eorum differri velim, intellego; et rectius commodiusque a me ipso edentur quam aliis fortasse edenda relinquentur; nam et tollere potero, si quid denuo inspectum displicebit, et aliis extremam manum imponere et rationes, ubi opus erit, exponere.

Continebunt hi adversariorum libri (sic enim recepto iam inter philologos nomine et plurium exemplo comprobato appellare placuit) eodem fere numero Græca et Latina, priore loco illa, quod Græcæ litteræ et tempore et dignitate præcedunt. Atque erunt fortasse, qui aliquid mihi in Latinis litteris tribuant et in eo genere nova a me libenter accipiant, de Græcis mirentur ac minus benevolam exspectationem afferant, quod eam philologiæ partem adhuc minus scribendo attigi. Ego autem cum adolescens vel præcipuo amore et studio Græcas litteras coluissem, primum prope casu accidit, ut, cum specimen aliquod edendum esset, de Ciceronis potius Academicis et libris de legibus emendandis commentarer quam de Platonis legibus, quarum iam tum bonum locorum numerum correxeram[1]); deinde cum subito nequedum satis paratus professoris Latinarum litterarum, quæ partes tum apud nos a Græca professione plane separatæ erant, vice fungi iussus essem et post tres annos sic legitimam philologiæ antiquæ professionem adissem, ut tamen et consuetudine et quod collegæ multo maioris natu et bene de me meriti voluntatem concertatione lædere nolebam, intra Latinos fines docendi scriptoresque enarrandi opera continenda esset, per tredecim fere annos studia præcipue ad Latinas litteras et res Romanas contuli. Et tamen commentarii Ciceroniani declarant, me eo tempore præter scriptores Græcos, qui res Romanas attingunt, quos tum inde a Polybio ad Dionem Cassium pertractavi, etiam is, e quibus philosophiæ Græcæ cognitio petitur, non

---

[1]) In libello illo tres posui Græcorum locorum correctiones, unam scholiorum in Euripidis Orestem, quam qui eo loco usi sunt, tenuerunt, alteram Platonis de legg. XII p. 953 D, ubi id, quod ego coniectura posueram, multo post Stallbaumius et alii e codice antiquo protractum probaverunt, tertiam Herodoti I, 33, in quo loco sententiam perspexi, non orationis singularem formam.

levem operam tribuisse. Tum autem edita a. 1842 grammaticæ Latinæ arte, cum consilium cepissem ad eandem formam syntaxis Græcæ componendæ, enixo studio præter Homerum Herodotumque Atticos scriptores et prosæ orationis et poëtas legi, cœpique quasi furtim Græcos scriptores enarrare, omissis tamen poëtis, quos a me scholis tractari collega et amicus ægre laturus erat. Criticæ emendationis seges initio etsi aliqua, tamen non ita magna provenit, quod neque illud artis condendæ et in pleno testimoniorum fundamento constituendæ consilium diu in singulis morari me sinebat neque in codicum Græcorum æstimatione et usu eam, qua opus est, exercitationem habebam nequedum satis prompte et celeriter omnia ex sermone et rebus meditanti succurrebant. Quæ quidem et de legibus sermonis iudicavi præcepique et coniectando conatus sum, ea mihi etiamnunc fere omnia probantur[1]). Interiecti sunt tres anni et paulo plus, quibus ab academia abfui, negotiis publicis occupatus. Redditus academiæ ab initio anni 1852 liberius iam, quoniam tres eramus philologiæ professores, Græca, etiam poëtas, scholis tractare cœpi, deinde, collega maiore natu post aliquot annos mortuo, multo maiorem scholarum et studiorum partem Græcis rebus et scriptoribus tribui, nisi quod per tres annos Livius multum sibi vindicavit; quantum studiis detraxerint negotia extra academiam a me obita, malo oblivisci. Itaque et ut rerum historiæque et institutorum ipse imaginem ad testimonia vetera exigerem, et litterarum plenius cognoscendarum et sermonis copiæ augendæ causa et eorum scriptorum, qui ante Alexandrum fuerunt, opera relegi et

[1]) Quam habuerim collectam materiam ad sermonis formam præceptis comprehendendam, perspici fere potest ex libello paucis noto et ita vitiose typis descripto, ut aliquot locis prorsus contraria, atque volui, dicantur: Bemerkungen über einige Punkte der griechischen Wortfügungslehre 1848.

Aristotelis quædam adieci et ex Alexandrinis Callimachum et Apollonium Rhodium et Theocritum (hunc quidem festinanter) et inferioris ætatis inde a Diodoro Siculo et Strabone persecutus sum, e quibus antea tantum Plutarchi vitas et Lucianum diligentius legeram. Horum igitur annorum, hoc est, ætatis usu et perpetuitate studiorum confirmatæ, maior pars est eorum, quæ ad Græcos scriptores hic proferam eos, in quibus ita sum versatus, ut aliquid nasceretur emendationis; alios celeriter percurri aut partibus cognovi. Quos enim totos attente perlegendos susceperam, in iis me ad hoc orationis ad veram formam revocandæ studium ferebat et plus fere, quam vellem, in eo detinebat animi propensio sana et certa quærens et delectatio ex sensu facultatis cuiusdam ad ea perspicue reperienda exercitatione confirmatæ, cum mihi viderer quasi ipsos illos veteres coram interrogare.

Ponam in his libris, si summa consilii spectatur, tantum quæ mea et nova puto, hoc est, coniecturas easque emendationes, in quibus, etiamsi proxime codicum vestigia sequantur, aliquid tamen de meo accesserit. Quæ in veterum scriptorum operibus simpliciter e codicibus restituenda in marginibus notavi, aut omnino neglecta aut probata olim ab uno pluribusve, sed a recentissimis reiecta, quasque superiorum emendationes iniuria spretas et aut contortis corruptæ codicum scripturæ enarrationibus aut pravis coniecturis postpositas probavi, prætermitto; nam et infinitum esset persequi et habent prudentes, ubi quærant et sumant. Et tamen non solum interdum meæ emendationis confirmandæ causa aut invitante similitudine mendi et correctionis et opportunitate brevis admonitionis commendabo in aliis locis codicum scripturas aliorumve coniecturas, sed ne id quidem mihi prorsus interdico, ne liceat aut in transcursu vicinam loco a me emendato bonam codicum scripturam ab neglectu vindicare aut emendationem ponere, quam cum ipse fecissem, postea ab alio præceptam viderim

aut superioris aut huius temporis philologo; habet enim hoc veritatis confirmationem minus exercitatis utilem, si quid, quod non unicuique statim occurrat, a pluribus inventum est. Sed perraro hoc faciam; nam si longius progrediar, sit hoc ipsum prope infinitum. Nihil enim mihi sæpius accidit, quam ut, quod ipse, cum exemplo scriptoris alicuius uterer nullo apparatu critico aut exiguo instructo, excogitassem, id aut in codicibus scriptum esse aut ab alio esse coniectura repertum postea viderem[1]). Atque id alius rei causa commemoro. Nam operam dabo, ne quid mihi, quod alienum sit, arrogem; sed qui possum in tot tamque disiunctis utriusque linguæ scriptoribus, in tanta emendationum copia perlustranda et digerenda, perficiendi præsertim aliquando huius operis et mei ex hac materia eripiendi cupidus et ideo festinans, qui possum, inquam, efficere, quod ne in uno quidem scriptore, quem quis sibi tractandum sumpserit et ad quem per complures annos omnia undecunque congesserit, plane efficere possit, nihil ut me aut non multa

---

[1]) Exempli causa unum ponam. A. 1843, cum fragmenta tragicorum Græcorum percurrerem utererque sola Dindorfii editione prima poëtarum scenicorum, emendaveram quædam, maxime Euripidis. Ea cum postea adhibitis aliis libris perlustrarem, ut, numquid editione dignum esset, viderem, repperi, quod in Alexandri fragm. 7 scribendum annotaram (*τοῖς σοῖσι νικᾷς*), a Musgravio præceptum, item, quæ in Archelai fragm. 13 (*στρατηγῷ*), in Erechthei fragm. 12 (*τοῦ βλέποντος μὴ καλῶς*), in Cretensium fragm. 2 (del. *παῖ τῆς Τυρίας*), in Sthenobœæ fragm. 9 (*ἀλδαίνει*), in Sylei fragm. 3 v. 4 (*δεσπότης*), in Alcmæonis fragm. 3 (*παῖδ' ἦν δῶς ἐμοί*), ab eodem Musgravio, H. Grotio, Salmasio, Bothio, quod autem in Belleroph. fragm. 20 v. 2 et 3 annotaveram (*θέλει χρῆσθαι*), e codicibus positum inveni. Restabant ea, quæ in Philologo I p. 671 edidi. De his et similibus si quem dubitaturum crederem, possem testes dare; sed tantam, opinor, mihi esse coniecturarum copiam etiam, si qui minus benevoli sunt, concedent, ut nulla sit alienas sublegendi causa.

fugiant aut apud antiquos philologos latentia aut per libros, quos periodicos vocamus, per programmata scholarumque indices similibusque locis sparsa? Præstabo tamen, quam potero, voluntatem sua cuique relinquendi adhibitisque præcipuis et recentissimis cuiusque scriptoris editionibus et quæ apparatum criticum habent, quæ ibi repperero, de meis tollam. Perpauca a me ipso ante vulgata hic iterabo, ut uno libro, qui hæc curant, collecta habeant, quæ in hoc critico genere a me inventa cognosci ab aliis velim, præter ea, quæ iam libris a me ipso editis continentur (emendationibus Tullianis a. 1826, epistola ad Orellium, disputatione de Asconio, opusculorum academicorum duobus voluminibus, commentariis in Ciceronis libros de finibus, emendationibus Livianis et præfationibus singulorum fasciculorum Livii a me et Ussingio editi); sed quæ sic edita antea sunt, ut satis ad notitiam hominum pervenisse videantur et rationibus firmata esse (ut pleraque, quæ cum Halmio communicata ab eo, Baitero, Kaysero in editiones Ciceronis scriptorum recepta sunt), verbo tantum indicabo. Atque hanc brevitatem servabo etiam in novis, ut parva et aperta (in libro II reliquisque) sine ulla rationis significatione ponam, ea, quæ nude poni nequeant, breviter explicem. Hæc quoque enim virtus critici videtur, ipsa argumentorum capita et pondera breviter comprehendere posse et monstrare.

Coniecturarum tantum affero numerum, quantum raro quisquam. Et tamen nemo est, qui magis quam ego leves et temerarias coniecturas oderit severiusque coniecturarum causam et necessitatem exigat, in coniectando autem viam ac rationem certas veritatis notas sequentem servari iubeat; sed idem manifestis indiciis et argumentis obscuras et inanes verborum ambages opponi sæpe indignor; multitudo autem coniecturarum ex ipsa multitudine scriptorum, quos paulo, quam in legendo fieri solet, diligentius pertractavi. In hac materia expromenda sic scriptorum ordinem et tempora sequar, ut a Græcis ad Romanos, a poëtis ad prosæ ora-

tionis scriptores veniam, eos scriptores, quorum paucos locos attigi, in miscellanea capita congeram. Sed quoniam sæpius dixi, me artem quandam et coniectandi et coniecturas æstimandi efficere conari, quæ et superstitionem ignaviamque et lusum temeritatemque excluderet, antequam ad singulos scriptores venio, primo libro generatim quædam comprehendam, quæ ad totius huius rei rationem intellegendam pertineant et utilem iunioribus, si non disciplinam, at admonitionem habeant ac quandam viæ monstrationem. Nam etsi neque præceptis quisquam criticam facultatem et artem assequi potest neque omnes, qui litteris antiquis student, ut aut præcipue aut valde in hoc genere ipsi nova quærendo elaborent, hortor, tamen ad recte iudicandum et ad vera ac probabilia a falsis et temerariis discernenda deduci possunt, qui bonæ indolis et voluntatis aliquid afferunt, et hactenus omnes, qui philologos se volunt, critici esse debent, ut aliorum bene inventis prudenter et sine instabili dubitatione uti et prava statim reiicere possint. Sic autem dicam, ut exemplis ad res declarandas in singulis generibus utar paucis, novis omnibus et meis, sed certis, ut opinor, et in quibus, vero semel posito, neque de mendo neque de correctione dubitari posse putem. Ita, qui emendationum promissum statim exsolvi postulabunt nec præcepta et aridas de minutis rebus disputationes afferri habebunt, quod flagitant. Exempla hoc loco delegi ex aptis et perspicuis, et quæ longiorem et cum proprietate scriptorum valde coniunctam explicationem non desiderarent, ea, quæ se non diu quærenti offerebant, quibus reliqui libri in omni genere multa, in nonnullis quidem prope infinita addent. Et postea quoque in singulis scriptoribus quædam similitudine coniuncta sub unum conspectum adducentur.

Liber I.

Cap. I.

Causæ et genera mendorum in veterum scriptorum codicibus monstrantur universe cum exemplis.

Ordiemur a rebus notis et ad non admodum suapte natura reconditas perveniemus. Veterum operum litteris consignatorum formæ, quem textum appellare consuevimus, recte constituendæ fundamentum omne codicibus manuscriptis continetur, quibus rara adiunguntur aliorum scriptorum (inter quos scholiastæ numerantur) testimonia, aut verba quædam ipsa proferentium aut aperte (etiam manifesta imitatione) significantium. De codicum propagine in scriptoribus et libris a prima et communi origine repetenda, de generibus eorum distinguendis, auctoritate eorum comparanda et æstimanda cum ab aliis dictum est, tum a me ipso in præfatione editionis librorum Ciceronis de finibus et in emendationibus Livianis in decadum procemiis; neque enim universa huius codicum coniunctionis et in genera descriptionis ratio alia est in Græcis, alia in Latinis, sed eadem. Codicum testimonio aut consentienti aut meliore, hoc est, non interpolatorum aut minime interpolatorum, simpliciter standum est, nisi aut necessaria causa est ab eo discedendi aut saltem probabilis de eo dubitandi.

Dubitatio de codicum testimonio et coniecturæ probabilis aut necessaria causa oritur aut ex ipsius testimonii dissensu, cum codices fide digni sic inter se discrepant, ut nulla sit scriptura, ex qua ceteræ errore ortæ videri possint, (nam deteriorum aberratio contra bonorum consensum nulla aut exigua et tali, cuius origo facile intellegatur, discrepantia turbatum nullam habet vim,) aut ex testimonii consentientis aut melioris et alioquin fide digni cum orationis lege et consuetudine aut cum scriptoris sententia et consilio pugna. Ac persæpe ea melioris testimonii cum orationis lege aut cum sententia pugna ex tam parvo et mani-

festo et ad corrigendum facili errore oritur, ut iam in codicibus recentioribus et alioquin nulla fide dignis ab hominibus non prorsus indoctis, qui illos scripserunt, sit correctus nec præterea quicquam requirendum tentandumve sit. Verum ubi aut omnes codices improbabilem habent scripturam aut meliores improbabilem eiusmodi, quæ ex ea, quæ in recentioribus corrigendo substituta est, aberrando nata esse putari non possit, (si præsertim, quod sæpe accidit, hæc ipsa diligentius considerata nec orationi nec sententiæ vere satisfacit, sed vanam tantum speciem habet,) ibi coniectura quærendum verum est tollendumque mendum codicum pluresve mendi formæ ex uno initio ortæ[1]).

Vitiati sunt codices interdum labe adventicia et quæ ad scribas librarios nihil attineat, si aut folia excisa detractave sunt aut loco mota et transposita aut foliorum partes desectæ aut humore aliove modo corruptæ, ut scriptura legi non possit; eiusmodique labes si in aliquo codice olim accidit, ex quo plures deinde ducti sunt, ad hos omnes necessario pertinet, hoc est, interdum ad omnes, quos nos habemus, scriptoris aut operis alicuius veteris codices. Verum hæc casu acciderunt et in certis tantum scriptoribus operibusque, damnumque habent nulla arte reparabile, nisi in transposi-

---

[1]) Ridicule interdum homines, ut sibi videntur, cauti et prudentes, coniecturam laudant ut probabilem, sed in nullo codice reperiri queruntur; recepturos se fuisse, si vel in uno codice reperiretur. Quid coniectura opus esset, si codices verum præberent? Quid in re dubia codex iuvaret nisi fide dignus et qui ceterorum consensum vinceret? Infinitæ sunt in codicibus recentioribus coniecturæ, bonæ non paucæ in parvis, ut dixi, et apertis erroribus, pravæ plures. Omnino non pauci, etiam qui multa de rebus criticis verba fecerunt, tamen ignorant, in quali fundamento constitutum habeamus veterum scriptorum contextum, quemadmodum sensim et mendis obscuratum antiquioribus et deinde coniectura interdum leviter emendatum, sæpius graviter depravatum et interpolatum.

tionibus foliorum corrigendis et in lacunis versuum truncatorum aliquo modo coniectura ex reliquo contextu explendis. Illa ad omnes codices pertinet et latissime patet labes et critica arte eluenda, quantum fieri potest, est, quæ in scriptura a librariis, dum propositum oculis exemplar sequuntur, vitiata cernitur. Nam codicum dictante altero scriptorum, quod quidam finxerunt, nullum est neque in subscriptionibus neque, quod caput est, in errandi generibus vestigium, quæ omnia pendent ab oculis et ab memoriæ animique vi, dum, quod oculi viderunt vidisseve videntur, manu perscribitur. (Apparent in Græcis codicibus rara vestigia recentioris pronuntiationis vocales quasdam confundentis, ut apud Platonem de legibus III p. 697 C Schneiderus vidit, ἐπὶ ἔτι scriptum esse pro ἐπὶ ἔτῃ, apud Pausaniam autem VIII, 23, 7 in cod. Par. est ὅσα ἐτι pro ὅσα ἔτῃ quotannis, quod recte scribitur 24, 11; verum hæc non dictando orta sunt, sed quod inter oculi et manus actionem scriba memoria confudit, quæ sono ab ipso non distinguebantur. Eademque causa efficit, ut in Latinis codicibus frequentissime b et v cum alibi, tum maxime in verborum terminationibus permutentur et pro amavit scribatur amabit contraque [1]).)

Librarios increpant omnes, nonnulli ita, ut, cum ignorantiam et stuporem et neglegentiam eorum gravissimis proscinderunt conviciis, eosdem callidos quosdam astutosque homines

---

[1]) Turpi oblivione notissimæ rei Haasius (nam Fickertum non tam miror) in Senecæ epist. 95, 54 e codicibus posuit: In supervacuum præcepta iactavimus (superiores edd. iactabimus), nisi illud præcesserit cet., et toto loco et futuro exacto indicium facientibus id dici, quis eventus futurus sit. Sed apud Senecam multa eodem modo nuper administrata. Contra apud Senecam Rhetor. p. 134 Bip. (116 Burs.), ubi editur: Sed nec ille diu declamationibus vacabat, pravo imperfecti usu, e codicum scriptura vacabit fit vacavit.

fingant ac pæne fraudulentos; qua condicione opus fecerint, quæ eos errandi opportunitas necessitasque, quæ quasi insidiæ circumsteterint, non ita multi placide et considerate iudicant; quod si facerent, separarent primum iudicando ipsum hominum animum ingeniumque et operæ ad nostrum usum eventum. Id quidem tenendum ante omnia est, fraudis, quæ ad decipiendos deliberato consilio legentes et in falsam opinionem de ulla minima re inducendos spectaret, neque illecebras ullas ac ne tenuissimæ quidem gloriolæ præmium fuisse neque in his, quos profanos appellamus, scriptoribus ullum vestigium prudenter iudicanti apparere[1]). Omnis culpa posita est aut in ipso scribendi errore, cum imprudentes et inviti aliud, atque in exemplo proposito erat, reddiderunt, aut in correctione, cum scientes et volentes, sed sine malo consilio, pro eo, quod in exemplo erat, aliud substituerunt, non verum scilicet; nam si in verum inciderunt, coniecturam laudamus. Omnino enim in hominibus humilibus et simplicibus iudicandis, etiam iis, qui confidenter et licenter interpolarunt, obliviscuntur philologi, illos codices descripsisse, quibus ipsi et alii eiusdem temporis et fere scientiæ homines in legendo uterentur, nobis codices testium loco esse, quibus utamur in contextus scriptorum ad nostrum usum constituendo; itaque fere una illa relinquitur iusta reprehensio, si qui mercede inducti difficiliorem, quam cui se aptos scirent, operam imponi sibi passi sunt aut festinanter neglegenterque scripserunt. Sed illius mutationis non in ipso scribendi errore positæ, quam omnem interpolationis nomine comprehendere licet, multi sunt gradus, duo præcipui, ut altera sit simplex et ru-

---

[1]) Ne id quidem verum est, quod olim homines quidam nimis nequitiarum cupidi finxerunt, monachos obscæna in veterum scriptis describendo occultasse et minus turpibus verbis involvisse. Spurca omnia bona fide, quantum poterant, repræsentarunt.

dis incertaque et vix conscia consilii, casu et ex suo ipsa sæpe errore oriens, altera deliberato consilio et libere plura persequens.

Ipse scribendi error etsi casui est subiectus, tamen quibusdam causarum momentis regitur, quorum caput est, quod omni describendi operæ intervenit et memoria ea, quæ oculus in exemplo vidit, dum et oculus et manus in novo exemplo occupatæ sunt, servans, et aut intellectus oculum manumque regens aut intellegendi obscurus conatus et imaginandi vis, incertas species obiiciens. Itaque constat, si eadem sit diligentia, eum multo rectius aliquid describendo reddere, qui, quæ scribat, intellegat, quam qui, sermonis ipsius ignarus, tantum litterarum formas norit sequaturque, quod quale sit, intellegi potest in Latinis librariis Græcas voces interpositas Latinis pingentibus aut etiam in iis, qui nunc Græca Latinave manu scripta typis exprimunt; nam et raro tam perspicuæ litteræ scribuntur, ut non in legendo multiplici coniectura utamur, ex sententia verba, ex verbis singulas litteras agnoscentes, et deficit in ignotis aut vacillat illa, quam dixi, memoria eorum, quæ oculus legit. Sed certum scribendi adiumentum is demum habet, qui plane et orationem et sententiam eorum, quæ scribit, intellegit et vere animo scribenda persequi potest; et tamen, si curam remisit, aberrat interdum, obiecta animo alius sententiæ aut verbi (etiam ex proximis) cogitatione et imagine; qui orationis universam formam tenet, sed sententias non curat nec res, de quibus agitur, novit, multo plura committit, præsertim si scripturæ forma minus facile recta verba obiicit, quod apud antiques accidebat, nec verbis divisis distinctisve nec sententiis interpunctis. Itaque nihil mirum est, iam veteres de librariorum erroribus et codicibus mendosis queri[1]). Qui vero

[1]) Cic. ad Qu. Fr. III. 6: De Latinis libris quo me vertam, nescio; ita mendose et scribuntur et veneunt.

neque sententiam resque omnes aut plerasque intellegit neque omnem orationis motum ac ne omnia quidem verba verborumque formas, is, etiamsi vult solo oculo duce uti, tamen, quia quædam intellegit et fortasse pleraque (saltem ex aliqua parte) et quia conquiescere animus nequit neque ab eo, in quo homo cummaxime occupatur, abduci, oculum in singulis litteris continere non potest (in quibus ipsis sententia non comprehensis memoria fallitur), sed verborum et sententiarum vanis simulacris et φαντάσμασι luditur et imagines verborum prius, quam litteras omnes perspexit, animo conceptas ad manum transfert. Atque hæc fuit et inferioris Byzantinæque ætatis Græcorum librariorum, cum veterum scriptorum opera, præsertim oratione et rebus difficilium, iis proponebantur, condicio et multo magis hominum Italorum, Gallorum, Germanorum post sublatam prorsus ex hominum usu Latinam linguam; itaque quod multo propinquior tamen et familiarior Byzantino homini pro eius temporis captu litteris imbuto occurrebat veteris sermonis Græci species quam Latini monacho, ut hoc utar, Gallo Germanove noni aut decimi seculi, quamvis sint depravati Græci codices, tamen nunquam usque ad eam barbariem verborum et formarum et ad ea monstra deventum est, quæ in Latinis sæpe obiiciuntur, cum infra palimpsestos et paucissimos, qui ex seculo quinto proximoque supersunt, descendimus[1]). Atque hæc memoriæ et cogitationis obscuræ oculum præcurrentis et decipientis et scribentem ad nota et usitata

---

Exstant de eadem re Martialis et Gellii querelæ, de Græcis Galeni et aliorum.

[1]) Hoc discrimen Græcorum et Latinorum codicum quale sit, perspiciet, qui (quod adolescentibus philologis svadeo ut faciant) aliquot paginas Platonis sic, nulla littera mutata, descriptas legerit, quales sunt in codice Oxoniensi aut Parisino A, deinde idem experimentum transtulerit ad Ciceronis, ut hoc utar, codicem Vaticanum Philippicarum aut magis etiam ad Livii Puteaneum aut Vindobonensem.

sibi trahentis vis, qui fons est uberrimus mendorum, variabatur multis modis librarii diligentia aut incuria ac festinatione, scientia sermonis tolerabili aut inscitia, exercitatione legendi aut insolentia, tum etiam exempli propositi forma et ætate propinqua aut remota. Nam ut facile scriba sequitur exemplum eodem scripturæ genere, quo ipse utitur, aut non valde dissimili confectum, ita, si exemplum proponitur litterarum forma longe diversum et in quo etiam (ne de verborum copulatione dicam) multa verba aliter scribantur, atque ipse scribit scriptaque legere solet (ut st pro est, quoius pro cuius), apparet, quantopere hac insolentia et novitate augeatur errandi periculum. Itaque quanquam in libris multum lectitatis sæpe describendo multiplicatur errorum occasio (nam in unoquoque exemplo novi committuntur errores), tamen, quod fere ob oculos describentibus fuerunt exempla non multo antiquiora et ad legendum facilia, non poterat tanta oriri confusio et verborum sententiarumque, ut ita dicam, peremptio, quanta in eo opere, cuius a paucis lecti et fere ignorati antiquum aliquod exemplum, plurium seculorum, ex angulo aliquo protractum scriba reddere conaretur. Quod quale sit, in Varronis de lingua Latina libris intellegi potest. Et accedit interdum aliud. Nam si multa interponuntur extra continuam seriem orationis, velut scriptorum, maxime poētarum, testimonia, brevia præsertim et sine plena sententia et verbis parum usitatis intermixta, necessario perturbatur describentis animus et hebetatur, cuius rei, ut in Varronis illo opere, sic in Athenæo, in Nonio, aliis exempla sunt. Ipsa autem scribendi diligentia et cura non librarii modo persona variabatur, sed ipsius scriptoris genere. Multo enim studiosius et severius antiquitus describebantur eorum scriptorum codices, qui rectæ et elegantis orationis auctores et prope regulæ ipsæ habebantur et in scholis tractabantur, quam ceterorum; itaque longe aliter Plato aut Cicero (si summam rem spectes) scribebantur quam, ut his utar, Plutarchi libri, præsertim qui moralium nomine com-

prehendi solent, nulla arte auctoritateve commendati, sed ita ampli voluminis, ut festinandi causa esset ei, qui tamen scribenda sumpsisset, aut Senecæ[1]). Et in libris frequenter lectitatis, et quorum in scholis usus erat, exemplarium comparatione, si non in scribendo, at postea in legendo, arcebantur magna ex parte errores illi, quibus omnia verterentur litteræque tantum dissolutæ relinquerentur; sed simul in eisdem et antea et renascentium litterarum tempore longe facilior erat aditus liberæ cuidam interpolationi, facilem lectionem et intellectum adiuvare studenti, velut in Catilinariis Ciceronis. (Recentior quidem interpolatio etiam in Seneca, qui tum in honore esse cœperat, liberrime grassata est.) In poëtarum operibus versuum perpetua et nota forma, ut hexametrorum et trimetrorum, scribam aliquo modo continebat et monebat; poterat tamen ipsa quoque insolentia aliqua (velut hiatu legitimo, sed raro) non simpliciter scribenti, sed incaute iudicanti interpolandi occasionem dare; ignota versuum genera cum verborum novitate et orationis libertate coniuncta quam vim habere debuerint, apparet.

De scribendi mendis ex uno codice ad alios propagatis auctisque nihil opus est dici.

Iam quæ ex hoc communi fonte propriæ et separatæ oriuntur errorum species, eas difficile est certis finibus describere, quod et diversæ causæ et errandi initia eundem erroris effectum habere possunt et plures causæ inter se coniungi; itaque usu hæc discuntur attente tractandis aut ipsis codicibus aut scripturis e codicibus varii generis plene et fideliter enotatis; sed tamen præcipua quædam genera percurrere conemur et exemplis illustrare; etsi simplicia satis exempla reperire interdum subdifficile est, quod plerumque primo errori aliquid accessit commenti.

---

[1]) Ea causa est etiam, cur plura exempla ex inferioris ætatis scriptoribus, Plutarcho, Seneca, aliis, sumpserim, in quibus et

Ea autem genera, quæ ipso scribendi errore continentur, posita sunt in similium permutatione, in prava separatione et continuatione, in semel aut bis scribendis, quæ bis aut semel scribenda erant, in transiliendo et transponendo, in accommodando ad proxima, in scribendis, quæ ad textum propositum non pertinent. Sed ex his, quæ posui, generibus, postremum magis ex scientiæ defectu et iudicii errore nascitur, in prioribus oculorum acies et animi in oculis dirigendis intentio officio deest.

Similium permutatio accidit primum in ipsis litterarum formis non valde dissimilibus ob ductuum obscuritatem et ambiguitatem aut acie minus intenta[1]). Ac de hac litterarum similitudine et permutatione, quæ et apud Græcos et apud Latinos alia fuit aliis ætatibus et in aliis scripturæ generibus, ab iis exponitur, qui palæographiam tractant, ostenditurque, in quibus codicibus, ut his utar, permutationi obnoxia sint *Α* et *Δ* et *Λ*, *Μ* et *Σ*, *Μ* et *ΛΛ* (ἅμα et ἀλλά), *Θ* et *Ο*, *Π* et *ΤΙ*, apud Latinos autem C et G aut E et F aut (quod t et l vix supra versum protenduntur et quod ductus, quibus **i**, **u**, **m** constant, vix dignoscuntur) syllabæ **iu**, **ui**, **in**, **ut**, **lu** aut **iec**, **lec**, **tec** (adiectus, adlectus, etiam adfectus, coniectus, contectus), ceteraque eiusdem generis, quæ animadvertendo facile discas; et tamen haud pauci obliviscuntur, quam exiguum in talibus litteris et syllabis sit testimoniorum pondus. Plato R. P. VII p. 529 C, eum animum, qui in rebus sensibus subiectis hæreret, nunquam vere sursum spectare, sed semper

---

menda infinita et gravia et manifesta sunt et magnam partem non animadversa nec tractata. Haasium in Seneca utinam sine exceptione laudare possem.

[1]) Si quid in exemplo proposito prorsus evanuerat aut deletum erat, scriba aut omittere cogebatur aut plane coniectura uti, parum ad eam factus.

deorsum dicens, quamvis supinus et facie obversa sive humi sive mari incumbens aliquid discere conaretur, sic scripserat: *κἂν ἐξ ὑπτίας HEN (ἢ ἐν) γῇ ἢ ἐν θαλάσσῃ μανθάνῃ*. Pro *HEN* scriptum est *MEN*, ut est in codice omnium principe, Parisino A (Vindob. *μήν*), quod cum pravum esse intellegeretur, postea interpolando natum est in aliis codicibus *ἐξ ὑπτίας ναίων ἐν γῇ*, poëtico verbo et inepto (quid est enim *ἐξ ὑπτίας ναίειν*?), in aliis *νέων*, quod mire patienter editur; nam *νεῖν ἐξ ὑπτίας* ipse possum, qui *ἐξ ὑπτίας ἐν γῇ* naret, vidi neminem. (Necessarium esse ad sententiam duplex *ἤ*, ut significetur: ubicunque id faciat, ex abundanti addo. Lepido lusu ipsum *ἐξ ὑπτίας μανθάνειν* coniungitur.) *Δ* pro *Λ* scriptum corrupit, adiecto post alio errore exiguo, alium eiusdem operis locum, VIII p. 568 D, ubi, unde tyrannus pecuniam ad mercenarios alendos habiturus sit, his verbis declaratur: *Δῆλον, ἔφη, ὅτι, ἐάν τε ἱερὰ χρήματα ᾖ ἐν τῇ πόλει, ταῦτα ἀναλώσει, ὅποι ποτὲ ἂν ἐξαρκῇ τὰ τῶν ἀποδομένων, ἐλάττους εἰσφορὰς ἀναγκάζων τὸν δῆμον εἰσφέρειν*. Aperte desideratur alterum pecuniæ conficiendæ genus, quod respondeat illis *ἐάν τε ἱερὰ* cet., frustraque anacoluthi excusatio advocatur; deinde non minus manifestum est, interpungi oportere post *ἐξαρκῇ* (in eas res, in quas sufficient), quod recte Hermannus fecit; postremo, quæ sint *τὰ τῶν ἀποδομένων*, frustra expedire student enarratores; nihil enim aliud significant verba nisi eorum res et pecunias, qui vendiderunt; itaque Hermannus, *τά* in *τό* mutato, mirabilem excogitavit enarrationem, ut vendentes (qui saltem *οἱ ἀποδιδόμενοι* dicendi erant, præsenti tempore) prodigi intellegantur eorumque aliquod proverbium fingatur. Plato alterum genus reditus posuerat eorum bona, quos tyrannus interfecisset: *ἐάν τε ἱερὰ ᾖ χρήματα ἐν τῇ πόλει, ἀναλώσει, ..., τά τε τῶν ἀπολομένων*. Nam etiam *τέ* post *τά* sublatum est, quod poterat per se excidere. Plutarchus adv. Stoicos c. 27 (p. 1071 E) cum

sic scripsisset: *Ἐπειδὴ δὲ ἐνταῦθα λόγου γεγόναμεν, τί ἂν φαίης μᾶλλον εἶναι παρὰ τὴν ἔννοιαν ἢ τὸ μὴ λαβόντας ἔννοιαν ἀγαθοῦ μηδὲ ἔχοντας ἐφίεσθαι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ διώκειν,* ex *τί ἄν* factum est *πᾶν*, pro quo video aliquem coniecisse scribendum esse *παντός*, oblitum, orationem sine *ἄν* vitiosam esse [1]). Et ut huius primæ omnium erroris speciei etiam Latina exempla ponantur, neque in Lucilii fragmento (lib. XXVII), quod Nonius p. 296, expedit enarrans utile esse, primum testimonium ponit (Ego enim an per eiciam, ut me amare expediam) ulla est dubitatio, quin E pro F substitutum sit (perficiam, ut me amare expediat, relicto in litteris an mendo), neque, quin Velleius Paterculus II, 29, 2 de Cn. Pompeio sic scripserit: potentiæ, quæ honoris causa ad eum deferretur, non vi ab eo occuparetur, cupidissimus, ubi editur non ut, prorsus otiosa et perversa particula et sublato orationis artificio, quod est in tribus contrarie inter se relatis, honoris causa et vi, ad eum et ab eo, deferretur et occuparetur. Longius serpsit error apud Ciceronem in oratione de domo 12, ubi cum inter se contraria posuisset illud nativum et hoc adiectum malum, factum est primum adlectum, tum, quod habent codices, ut videtur, omnes, delictum, deinde, quod in editionibus multis est, delatum. Verum persæpe non ipsarum litterarum figuræ per se propter similitudinem permutabantur, sed, cum duo vocabula totidem litteras et præter unam ceteras communes haberent, oculo non in unam illam litteram intento, ex ceteris pro vocabulo scripto alterum occurrebat, si præsertim notius et magis tritum erat; nec tantum vocabula prorsus litterarum numero et ordine

[1]) Perversissime Stallbaumius (non Hermannus) in Platonis r. p. IX p. 581 D sprevit certissimam Graseri emendationem *τί οἰώμεθα* pro *ποιώμεθα* scribentis, quo omnia apta et recta fiunt. Nimirum facilia et simplicia sordent. Hanc quoque emendationem ante multos annos ipse feceram.

æqualia permutabantur, sed etiam prope æqualia. Velut quod apud Plutarchum de cohibenda ira c. 15 (p. 463 A) inter affectus, quibuscum ira comparatur, pro timore nominatur cædes (*φόνου δὲ καὶ χείρων ἐστί* pro *φόβου*, quanquam callide vertendo substituitur homicidii affectatio, quasi is affectus sit), non sane ex similitudine litterarum *B* et *N* natum est, sed ex totarum vocum, itemque quod apud Xenophontem hist. gr. VI, 5, 3 pro *πάλιν* (*ἐψηφίσαντο μίαν πάλιν τὴν Μαντίνειαν ποιεῖν καὶ τειχίζειν τὴν πόλιν*) scriptum est *πόλιν* cum vitiosa eiusdem vocis repetitione et obscurato eo, quod caput rei erat, et quod apud Lucianum Hermot. 30 in re apertissima pro *ἀπόντων* (*ὥστε οὐκ ἐχρῆν ἀπόντων καταγιγνώσκειν οὐδὲ ἐρήμην ἡμῶν καταδιαιτᾶν*) substitutum est *ἁπάντων*. (Pars an omnes condemnentur, ad rem non pertinet.) Contra in *Π* et *T* in certo scripturæ genere similitudo ipsarum litterarum valere potuit, quibus permutatis apud Platonem in symposio p. 200 A scriptum est *ὅτου* pro *ὅπου* (*φύλαξον παρὰ σαυτῷ μεμνημένος, ὅπου*, memor, ubi condideris, ut depromere possis; amorem semper esse alicuius, dictum erat, non, cuius esset;) et in Gorgia p. 485 E *διαπρέπεις* pro *διατρέπεις* (*καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν μειρακιώδει τινὶ διατρέπεις μορφώματι*, pervertis et dedecoras; prorsus absurde et sine ulla vera sententia dicitur *φύσιν διαπρέπειν μορφώματι*) et alia alibi corrupta. Suetonius Claud. 44 scripserat de morte Claudii ab Agrippina festinata: Prius igitur, quam ultra progrederetur, præventus est ab Agrippina, quam præter hæc conscientia quoque nec minus delatores multorum criminum urguebant, id est, ad festinandum impellebant. Substitutum est arguebant. Num igitur illa, quæ antea Suetonius de Claudio narrat, Agrippinam arguebant?[1]) Abstineo

[1]) Contrarium mendum (urguebatur pro arguebatur) apud Tacitum ann. VI, 29 (35) Ernestius sustulit.

exemplis, in quibus confirmo et conformo permutantur. Valerius Maximus III, 7 E. 6 Prusiam ridens, qui in re bellica plus extis quam Hannibali credidisset, sic scripsit: Et sane, quod ad exploranda bellica artificia æstimandosque militares ductus attinebat, omnes foculos, omnes aras Bithyniæ, Marte ipso iudice, pectus Hannibalis prægravasset. Pro eo scribitur in codicibus editurque ab omnibus bellica sacrificia, prorsus ridicule, quasi in Hannibale sacrificiorum peritia laudetur et ea recte aut saltem tolerabiliter cum militaribus ductibus coniungantur, ac non hoc ipsum Valerius dicat, bellicam Hannibalis peritiam omnibus sacrificiis præferendam fuisse. Communes litteræ ificia alterum vocabulum obiecerunt; etsi etiam, cum a littera semel scripta factum esset bellicartificia, vocabulum capite truncum prava coniectura, quod de extis aliquid præcesserat, suppletum esse potest. Senecæ quidem de constantia sap. 15, 3 sola nocuit similitudo, qui cum per figuram, ut solet, experimentum capere iubens sic scripsisset: Quære et aspera et quæcunque toleratu gravia sunt adituque et visu refugienda; non obruetur eorum cœtu et, qualis singulis, talis universis obsistet, substituto quare pro quære perturbata plane oratio est, cui frustra nuper incredibilem anacoluthi speciem adhibuerunt (quare aspera .... non obruetur); superiores interpolatione temeraria usi erant (quare etsi aspera ... quantumcunque ... sint). Una littera longius πελάγιος apud Strabonem bis pro πλάγιος positum est, primum III p. 167: εἰσὶ δὲ καὶ πλάγιαι μᾶλλον αἱ Πιτυοῦσσαι καὶ πρὸς ἑσπέραν κεκλιμέναι τῶν Γυμνησίων (magis ad alterum latus versæ; Germanice dicas: liegen mehr seitwärts); πελάγιαι et πελάγιαι μᾶλλον, ut scribitur et editur, iure tam mirum Meinekio in insulis visum est, ut stellulam apponeret; deinde V p. 244, ubi editores adeo nesciunt, quid faciant verbis τὴν

ἀπολαμβανομένην μέχρι Μισηνοῦ γῆν ἀπὸ τῆς πελαγίας τῆς μεταξὺ Κύμης καὶ αὐτοῦ, ut prorsus deleri velint τῆς πελαγίας. Scriptum fuerat ἀπὸ τῆς πλαγίας, a linea transversa inter Cumas et ipsum (lacum Avernum)[1]). Una littera brevius, sed simul pervagatius verbum subiectum est pro non raro sane nec ignoto apud Velleium Paterculum, qui II, 103, 3 sic scripserat: Lætitiam illius diei (quo Tiberius ab Augusto adoptatus est) vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere tentemus. [Contenti simus] id unum dixisse, quam ille omnibus faverit. (Enumerat deinde bona omnis generis inde sperata et nata.) Scribitur nunc fuerit et tentatur supplementum (omnia omnibus fuerit) nec Latinum (omnia esse alicui) nec sententiæ aptum; nam neque dies, de quo agitur, neque Tiberius omnia omnibus fuit, etiamsi id Latine diceretur[2]). Valerius Maximus III, 5, 4 Q. Hortensium dixerat in maximo et ingeniosorum civium et amplissimorum proventu summum auctoritatis atque eloquentiæ gradum optinuisse; substituto ingenuorum et eloquentiæ significatio periit (— itaque Halmius post amplissimorum addidit oratorum —) et ridicule tanquam memorabile ponitur, aliquando multos fuisse ingenuos; qua enim ætate populus ex libertinis potissimum constitit? Transpositas litteras habent voces apud Plutarchum commutatæ in Sullæ c. 17, ubi in codicibus est: Ἀμφότεροι δὲ ταὐτὰ περὶ τῆς τοῦ θεοῦ ὀμφῆς ἔφραζον, id est, περὶ τῆς τοῦ θεοῦ

---

[1]) Tertii loci idem mendum corrigam, ubi ordine eo ventum erit.

[2]) Dico pro disco positum correxeram ante multos annos apud Senecam Rhet. in præfat. libri V controversiarum p. 319 Bip. Nunc rectum Bursianus e codicibus restituit. In aveo et habeo præter illam litterarum b et v pronuntiandi similitudinem, quam supra commemoravi, accedebat alterius verbi minus frequens usus.

μορφῆς. Nam de dei forma et specie agi satis declarant, quæ subiiciuntur: τῷ γὰρ Ὀλυμπίῳ Διΐ καὶ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος παραπλήσιον ἰδεῖν ἔφασάν. Neque ὀμφήν in prosa oratione aut Plutarchus aut quisquam tolerabilis scriptor dixit. (Editores fere omittunt τοῦ θεοῦ, tenent ὁμφῆς.) Apud Senecam ep. 118, 7 similiter transpositæ litteræ; nam cum scripsisset: maiorque pars (hominum) miratur ex intervallo fallentia, et vulgo nova pro magnis sunt, codices et editiones bona habent; quam inepte bona cum ex intervallo fallentibus coniungantur et quam incredibile sit, Senecam queri bona haberi pro magnis, non animadvertitur, ne quid dicam de toto disputationis contextu[1]). Sed in his, quæ attuli, exemplis aut sola aut prope sola similitudo erroris causa fuisse videtur; afferamus unum et alterum, in quo appareat simile simili, sed notius et tritius paulo minus trito (nec tamen utique ignoto aut raro) substitutum esse; sed argutioribus abstineamus, quale est, quod suo loco in Platonis sophista p. 240 D aperiam, nunc tantisper in latibulo iacere patiar, si quis interim ipse protrahere possit; apertioribus utamur, ipsius Platonis primum. Nam in r. p. IX p. 587 E, postquam Socrates ludens, qua numerorum proportione rex tyranno beatior sit, exposuit, Glauco, Ἀμήχανον, ἔφη, λογισμὸν καταπεφόρηκας τῆς διαφορότητος τοῖν ἀνδροῖν, τοῦ τε δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου, πρὸς ἡδονήν τε καὶ λύπην. Quid sit καταφορεῖν (quo verbo Plato Atticique scriptores omnino abstinent) λογισμὸν διαφορότητος, nemo erit, qui recte expediat; Plato repertam et deprehensam proportionem dixit, duabus vocalibus aliter scriptis: καταπεφώρακας. Quod eiusdem operis lib. VIII p. 560 A scribitur: καί τινες τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν διεφθάρησαν, αἱ δὲ καὶ ἐξέπεσον, αἰδοῦς τινὸς

[1]) Bonos pro novos recte Gronovius restitui iusserat quæstt. nat. III, 25, 4; obtemperatum non est.

ἐγγενομένης ἐν τῇ τοῦ νέου ψυχῇ, neque corrumpuntur cupiditates pudore orto et, si vertas intereunt (quomodo *διαφθείρεσθαι* de excisis et exstirpatis non dicitur), falsum id esse ostendit, quod additur quasi maius et gravius: *αἱ δὲ καὶ ἐξέπεσον*. Scripserat Plato *διετράπησαν*, victæ et confusæ desistunt; id est enim *διατρέπεσθαι*. Plutarchus adversus Stoicos c. 35, 4 (p. 1077 B) Stoicos dixit putare mundum post conflagrationem in semen conversum iri (— *μεταβαλεῖν* recte Wyttenbachius pro *μετέβαλε* —), ita ut ex minore corpore et mole magnam haberet fusionem, hoc est, late se denuo panderet: *χύσιν ἔχοντα πολλήν*. Substitutum est *φύσιν*, quod (*πολλὴν ἔχειν φύσιν*) nihil est[1]). Paulo longius a litteris discessum in libello eodem 32, 1 (p. 1075 E), ubi Stoici Epicurum incessentes omnibus indignantium vocibus et exclamationibus uti dicuntur; scribitur enim: *οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν πραγμάτων, ἰοὺ ἰού, φεῦ φεῦ βοῶντες*. Apparet nihil hic agere *τὰ πράγματα*. Scripserat Plutarchus: *οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν κεκραγμάτων*, vocabulo Aristophanis utens. Idem de animi tranqu. c. 18 (p. 476 B) sapienti licere dixit, facta commodorum et incommodorum comparatione, *τῆς μὲν ἀρεστῆς καὶ οἰκείας μερίδος ἐπικρατούσης, ἡδέως ζῆν, τῶν δὲ ἀλλοτρίων καὶ παρὰ φύσιν ὑπερβαλλόντων, ἀδεῶς ἀπελθεῖν*. Virtuti (— nam in codicibus et editionibus scribitur *ἀρετῆς*, quo posito debebat saltem scribi *καὶ τῆς οἰκείας μερίδος* —) in hac comparatione nullus est locus[2]). Strabo VI p. 269 e Syracusarum divitiis natum esse ait proverbium de iis, qui sumptuose viverent, *ὡς οὐκ ἂν ἐκγένοιτο αὐτοῖς ἡ Συρακουσίων δεκάτη*. Corruptum esse *ἐκγένοιτο* consen-

---

[1]) De defectu oracul. c. 40 init. (p. 432 C) *δύναμις σύμφυτος καὶ ἀμυδρὰ καὶ δυσφάνταστος* appellatur, quæ a Plutarcho *σύγχυτος καὶ ἀμυδρά*, confusa et obscura, appellata erat.

[2]) *Ἀρεστός*, ne quis de eo dubitet, legitur apud Plutarchum Pelopid. c. 21.

tiunt Kramerus et Meinekius et satis patet; quæ enim hominum luxuria ex eo significatur, quod iis non eventura sit decima Syracusanorum? medicina nondum reperta est, quæ non difficilis est; scribendum est enim *ἐξικνοῖτο*, non suffecturam iis (in talibus sumptibus) decimam Syr. Est tamen hoc mendum Stephano Byzantino antiquius. Apud eundem Strabonem I p. 16 Hipparchus eum, qui omne genus scientiæ et artis Homero tribuat, similiter facere ait, *ὡς ἂν εἴ τις Ἀττικῆς εἰρεσιώνης κατηγοροίη καὶ ἃ μὴ δύναται φέρειν, μῆλα καὶ ὄγχνας.* Alienissimum a re accusandi verbum est; requiritur et sententiam explet unum *καταρτῴη*, suspendat. Adiungamus etiam poëtæ exemplum. Nam Sophocles in Trachiniis 323, ubi Lichas Iolen dicit, si quid loquatur, prorsus a superioris temporis consuetudine discessuram, neque *στόμα διοίσει* posuit, quod nihil esse consentiunt, neque *διήσει* (— nam aliud est *φωνὴν* aut *γλῶσσαν ἱέναι*, aliud *διιέναι*, id est nihil —), sed sic scripsit:

οὔ τἄρα τῷ γε πρόσθεν οὐδὲν ἐξ ἴσου
χρόνῳ διοίξει γλῶσσαν.

Non tam ipsius verbi quam formæ alicuius minus tritus usus apud Lucianum Abdic. 17 effecit, ut substitueretur aliud verbum una littera longius, una præterea differens. Editur enim: *Ὅταν γοῦν πολλάκις ποιήσωμεν ἤδη πλησίον γενέσθαι τοῦ τέλους καὶ ἐλπίσωμεν, ἐμπεσόν τι μικρὸν ἁμάρτημα, ἐπακμάσαντος τοῦ πάθους, ἅπαντα ῥᾳδίως ἐκεῖνα ἀνέτρεψεν*, quam nulla sententia, ostendere potest Gesneri interpretatio (cum enim sæpe effecimus, ut prope finem simus, cum speramus, cet., etsi *ποιῶ γενέσθαι πλησίον* Græcum omnino non est hoc significatu); bonus Marcilius scribi voluerat *οἰήσωμεν*, barbaram formam ponens, sententiam videns; Lucianus posuerat *οἰηθῶμεν*. E Latinis Seneca cons. ad Marciam 17, 6 naturam dicentem inducit, incertum esse, numquid liberi nati fructus lætitiæque allaturi sint: Tu si

filios sustuleris, poteris habere formosos, et deformes poteris; fortasse muti nascentur. Pro muti substitutum multi, quod cum ferri non posset, editores varie locum interpolarunt[1]). Gellius XII, 2, 14 Senecæ dicendi genus reprehendens, adolescentium, inquit, indolem non tam iuvant, quæ bene dicta sunt, quam inficiunt, quæ scævissime. Substituto sæpissime periit sententia, periit contrariorum apta inter se relatio. Alius quæ male dixisset; Gellius neque tam miti et simplici verbo neque positivo contentus fuit. Apud Ovidium, ut Latini quoque poëtæ exemplo utar, metamorph. IV, 139 sqq. de Thisbe Pyramum lugente hæc leguntur:

Et laniata comas amplexaque corpus amatum
Vulnera supplevit lacrimis fletumque cruore
Miscuit.

Quid sit vulnera supplere lacrimis, nemo dixit dicetve, ut intellegi possit; nam quod Gierigius idem dicit esse atque fletum cruore miscere, ea non enarratio est[2]). Ovidius scripserat sublevit (lavit), hoc est, quod XIII, 490 dicitur, lacrimas in vulnera fudit.

De permutatione similium, quæ in utroque sermone in certis quibusdam vocibus (ut κλεινός, κοινός, καινός, πάλιν, πάλαι, πόλιν, quæso, quasi, utile, vile, subtile, cet., maximeque in particulis, ut ἄν, αὖ, ὡς, ἕως, καὶ τά, κατά, ut, et, etiam in et, ei) amplissimam habet materiam et quibusdam prope infesta est (ut ἀμωσγέπως, ἄττα), satis dictum erit, si addiderimus, etiam terminationes quasdam esse verborum, quæ, quia non valde dissi-

---

[1]) Mutis pro multis recte Gruterus restituit in libro de vit. beata 2, 3.

[2]) Statius, tumidus poëta et omnia ridicule exaggerans, Theb. III, 130 vulnera alta lacrimis repleta habet; sed longe aliud esset suppleta, ut lacrimæ pro vulneribus essent.

militer cadant, deficiente etiam in extrema parte vocabuli longioris memoria aut animi intentione, sæpe a librariis ad grammaticam sententiæ formam non attendentibus aut regulæ ignaris confundantur, ut ται et σθαι, σαι et σθαι, runt, rint, ως, οις, ne σειν et σαι, σεσθαι et σασθαι h. l. attingam[1]).

Alterum erroris genus diximus esse in verbis male separandis aut continuandis. Nam cum apud veteres, ut in antiquissimis nostris codicibus, continua omnia scriberentur, nulla verborum distinctione, tum, cum verba separata scribi cœpta sunt, facile aut ex primis aliquot litteris species vocabuli integri obiiciebatur idque separatim scribebatur aut, cum non insisteretur, ubi oportebat, ex duobus pluribusve unum conflabatur vocabulum. Sed cum in priore erroris specie relinquerentur litteræ sensu cassæ, in altera interdum tantum pars sequentis vocabuli ad prius traheretur, ut reliquæ litteræ eodem modo superessent, prope necessario statim adiungebatur conatus aliquis corrigendi, ut litteras addendo, detrahendo, mutando saltem verborum Græcorum Latinorumque forma, etsi neque oratio recte cohærens neque sententia, oriretur. Ad perficiendum quoque illud, quod primum animo obiectum erat, vocabulum

[1]) *Βιώσεται* pro *βιώσεσθαι* scribendum est apud Plutarchum de sera numinis vind. 22 (p. 56 F), *προστρίβεται* pro *προστρίβεσθαι* de Pyth. orac. 3 (p. 395 E), contra *συμβιώσεσθαι* et *στρατεύσεσθαι* pro indicativis de Stoic. repugn. 20, 3 (p. 1043 C). Apud Pausaniam II, 1, 2 pro *ἀνοικίσαι* altero loco scribendum est *ἀνῳκίσθαι*. Nam si activum de Cæsare Pausanias posuisset, non addidisset *ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τῆς αὐτοῦ*. (Scribendum *αὐτοῦ*.) Aliæ terminationes permutantur propter obscuram aut non intellectam notam, ut cum tacebunt pro tacebuntur scribitur. In quibusdam codicibus, ut in Senecæ philosophi antiquis aliquot, interdum vocabula, festinante librario, extrema parte truncantur, ut cons. ad Marc. 11 extr. in A (Fickerti notis utor) est paucissimo circuitus annor, id est, ut editur, paucissimorum circ. annorum. Hinc aliquoties correctio petetur.

sæpe litteræ aliquot mutabantur. Atque etiam ante, quam verba scribendo separabantur, in legendo hi errores accidere poterant et scribentem turbare et ad mutandas litteras impellere. Itaque multiplex nascitur confusio. Rarissime enim omnes litteræ supersunt, tantum male divisæ, ut apud Platonem r. p. VII p. 519 B, ubi optimi codices (Par. A et alii) sic scriptum habent: (*αἱ μολυβδίδες*) *περὶ κάτω στρέφουσι τὴν τῆς ψυχῆς ὄψιν*, Plato ipse *περικάτω* legi voluerat, usus popularis sermonis adverbio, quo significabatur summis ad imum versis, capite deorsum verso (kopfunter), quod Aristophanes *κατωκάρα* dicit. Id adverbium Photius in lexico (*περικάτω τραπήσεται*) *συνήθως λέγεσθαι* scribit; usus eo est et antiquos et communem sermonem sequens Plutarchus de facie in orbe lunæ 28, 8 (p. 943 D), ubi editur: *ἐνίας δὲ καὶ τῶν ἐκεῖ* (*ψυχῶν*) *περὶ*[*τὰ*]*κάτω τρεπομένας οἷον εἰς βυθὸν αὖθις ὁρῶσι καταδυομένας*. Recte codices *περικάτω τρεπομένας*. (Platonis editores ex interpolatis codicibus tenuerunt *περὶ τὰ κάτω*. Hermannus *κάτω*, deleto *περί*.) In Sophoclis Antigon. 205 sq. *αἰκισθέντ'* pro *αἰκισθέν τ'* scriptum (*καὶ δέμας ἰδεῖν πρὸς οἰωνῶν καὶ πρὸς κυνῶν ἑδεστὸν αἰκισθέν τ'*) fecit, ut pravæ et miræ excogitarentur verborum iuncturæ. Illud pæne incredibile, apud Xenophontem in Cyrop. II, 4, 17 etiamnunc edi: *οὓς σὺ λαβὼν εὐθὺς ἀνίοις* pro *εὐθὺς ἂν ἴοις*, cum præsertim et *ἀνιέναι* ad rem ineptum et sine *ἄν* oratio solœca sit, quanquam non deest, qui defensorem citet nec qui citetur. (Mitem iubendi esse formam *ἴοις ἄν*, notum est.) Sed gravissimi vulneris speciem habet Strabonis locus II p. 110, ubi de homine mathematicæ et geographicæ subtilitatis experti hæc dicuntur: *ἀνατέλλοντα μὲν γὰρ ὁρᾷ ἥλιον καὶ δύνοντα καὶ μεσουρανοῦντα, τίνα δὲ τρόπον, οὐκ ἐπισκοπεῖ, (οὐδὲ γὰρ χρήσιμον αὐτῷ πρὸς τὸ προκείμενον, ὥσπερ οὐδὲ τὸ παράλληλον ἑστάναι τῷ παρεστῶτι ἢ μή·) τάχα δ' ἐπισκοποῖ μὲν ἄν τι, δόξει δ' ἐν τοῖς*

μαθηματικῶς λεγομένοις καθάπερ οἱ ἐπιχώριοι. Nec potentialis modus (ἐπισκοποῖ ἄν) rationem habet (et in codicibus solis fide dignis est ἐπισκοπεῖ) nec τι, quid vero sit (ut de futuro tempore nihil dicam) δοκεῖν ἐν τοῖς μ. λ. aut etiam δοκεῖν τοῖς μ. λ., ne fingi quidem tolerabiliter potest. Conflemus igitur tria divulsa; clarum erit et perspicuum, quod nascetur: τάχα δ' ἐπισκοπεῖ μὲν, ἀντιδοξεῖ δὲ τοῖς μαθηματικῶς λεγομένοις. Nam corrupto verbo additum est ἐν[1]). Ne apud Senecam quidem epist. 89, 4 quicquam ex litteris periit, sententia tota, quem locum Haasius (nam superiores delendo grassati erant) sic scriptum edidit: Philosophia unde dicta sit, apparet; ipso enim nomine fatetur. Quidam et sapientiam ita ** quidam finierunt, ut dicerent divinorum et humanorum scientiam. Seneca scripserat verbis ludens: ipso enim nomine fatetur, **quid amet** (se esse sapientiæ amorem). Sapientiam ita quidam finierunt cet.[2]). Sed hoc, ut dixi, rarum. Una tantum littera intercidit apud Thucydidem VIII, 46, ubi cum is scripsisset: εὐτελέστερα δὲ τάδ' εἶναι (facilius esse et minoris constare id, quod ipse svaderet) βραχεῖ μορίῳ τῆς δαπάνης .... περὶ ἑαυτοὺς τοὺς Ἕλληνας κατατρῖψαι, librarius effecit εὐτελέστερα δὲ τὰ δεινά, multumque editores vexavit, e quibus nuper Kruegerus εἶναι subesse suspicatus est, litteras ταδ abiiciebat[3]). Apud Platonem, cuius alios locos paulo subtiliori

[1]) Obtemperatum oportuit Bekkero, in Platonis r. p. IX p. 578 C δυστυχήσῃ (si mala fortuna usus fuerit) scribi iubenti pro δυστυχὴς ᾖ. Sed ipse idem corrigere debuit VIII p. 561 A (εὐτυχήσῃ καὶ μὴ πέρα ἐκβακχευθῇ pro εὐτυχὴς ᾖ).

[2]) Hanc emendationem ante aliquot annos adumbravi et adolescentibus reperiendam proposui in libro trimestri Danico (Tidskrift for Philologi) V, 24 et reppererunt complures.

[3]) Huius loci emendationem cum ante plus viginti annos (duobus, ni fallor, ante 1848) Ioanni Classenio Hauniæ monstrassem, in idem se incidisse dixit.

disputatione egentes tractabimus, cum ad ipsum in ordine ventum erit, de legg. XII p. 967 A ex *οἴονται* natum esse *οἷόν τε* ostendam paulo post, ubi eundem locum propter accommodationis errorem commemorabo. Littera una mutata est apud Strabonem VI p. 257, qui de Rhegio condito sic scripserat: *ὡς δ' Ἀντίοχός φησι, Ζαγκλαῖοι μετεπέμψαντο τοὺς Χαλκιδέας καὶ οἰκιστὴν Ἀντίμνηστον συνέστησαν* (dederunt)· *ἐκοινώνησαν δὲ τῆς ἀποικίας Μεσσηνίων φυγάδες τῶν ἐν Πελοποννήσῳ*. Librario ex primis verbi litteris obiecta est species pronominis *ἐκείνων*, itaque una littera mutata scripsit, ut editur: *συνέστησαν ἐκείνων· ἦσαν δὲ* —, pronomine vitioso (debebat enim, ut aliqua esset sententia, esse *ἐξ ἑαυτῶν*), vitiosa etiam proxima oratione; neque enim Græcum est *εἶναι τῆς ἀποικίας* pro *μετέχειν* aut *κοινωνεῖν*[1]).

Plutarchi quæstiones convivales etsi merito a paucissimis perleguntur, tamen mirere in libro a Wyttenbachio et Duebnero edito hæc relicta esse V, 3, 2, 6 (p. 676 E), ubi inducitur rhetor cum falsa specie doctrinæ de coronis in ludis Isthmiis disserens, ne ad Græcorum quidem verborum speciem (*κατευμαι*) adducta: *Ἦ ταῦτα, εἶπεν, οὐκ ἀνέγνω κατευμαί σοι τὴν πίτυν, ὡς οὐκ ἐπείσακτον οὐδὲ νέον ἀλλὰ πάτριον καὶ παλαιὸν δὲ στεμμάτων Ἰσθμίων σεμνύνοντες ἐκίνησεν οὐ νέους ὡς ἂν πολυμαθὴς ἀνὴρ καὶ πολυγράμματος*. Primum una vocali mutata (*α* in *ε* in illo *κατευμαι*), litterisque ter recte divisis habebimus hominem orationem sic superbe interrogatione terminantem: *Ἦ ταῦτα, εἶπεν, οὐκ ἀνεγνώκατε ὑμεῖς οἱ τὴν πίτυν ὡς οὐκ ἐπείσακτον οὐδὲ νέον, ἀλλὰ πάτριον καὶ παλαιὸν δὴ* (sic scribendum: scilicet) *στέμμα τῶν Ἰσθμίων σεμνύνοντες;* Deinde Plutarchus effectum gloriosæ orationis ostendit: *Ἐκίνησεν οὖν νέους* (*τοὺς νέους*?) *ὡς ἂν*

[1]) Idem Strabo I p. 20 non scripsit *τὸν Κιμμερικὸν Βόσπορον πρὸς βορρᾶν καὶ ζοφώδη*, sed *πρόσβορρον καὶ ζοφώδη*.

πολυμαθὴς ἀνὴρ καὶ πολυγράμματος. Tum, quomodo species glorioso homini detracta sit, narrat (Ὁ μέντοι Λουκάνιος κ. τ. λ.). Prorsus memorabile exemplum vocis paulo rarioris in tres cum aliqua litterarum mutatione distractæ habet eiusdem Plutarchi vita Pyrrhi c. 3, ubi de Glaucia Illyriorum rege, ad quem Pyrrhus infans a custodibus fugientibus delatus erat, sic scribitur: Ὁ δ' ἦν ἐπὶ γνώμης Κάσανδρον δεδοικὼς ἐχθρὸν ὄντα τοῦ Αἰακίδου (Pyrrhi patris) καὶ σιωπὴν εἶχε πολὺν χρόνον βουλευόμενος. Neque Græce ullo exemplo dicitur εἶναι ἐπὶ γνώμης, et si diceretur, ut esset deliberare, manifesta esset tautologia in proximo βουλευόμενος. Plutarchus scripserat: Ὁ δ' ἠμφιγνώμει (incertus sententiæ erat). Idem in Nicia c. 9 postquam dixit aliquamdiu e variis indiciis intellectum esse, Lacedæmoniorum et Atheniensium animos belli tædere, postremo quid factum sit, his verbis ponit: ἔπειθ' οὕτω περὶ παντὸς εἰς λόγους συμβάλλοντες ἐποιήσαντο τὴν εἰρήνην. Et inepte per se de omnibus rebus collocuti esse dicuntur, neque hoc recte superioribus respondet neque ipsum in Græcis verbis inest; necessario enim scribendum erat περὶ πάντων. Sed Plutarchus scripserat: ἔπειθ' οὕτω περιφανῶς εἰς λόγους συμβάλλοντες ἐ τ. εἰρ. Ut ad Latina exempla transeam, quam sæpe Livii librarii e prima syllaba verbi quiesco et adiectivi quietus pronomen qui effecerint, ceteris pessundatis, dictum est in emendatt. Liv. p. 617 et in præfat. Livii a me editi vol. IV fasc. I p. 13. In Taciti quoque codice Mediceo XIV, 22 pro quieti urbis scribitur qui e turbis[1]); sed mansit mendum ex eadem causa paulo alia forma natum in ann. XIV, 26, ubi editur: unde (legati Hyrcanorum) vitatis Parthorum finibus patrias in sedes remeavere. Quin et Tiridaten per Medos

[1]) Contra apud Val. Max. IV, 7 E. 2 codex optimus quietam habet pro qui ea.

extrema Armeniæ intrantem . . . abire procul ac spem belli omittere coëgit. Prorsus ineptum est quin in transitu ad aliam rem prorsus diversi a superiore generis et ubi ne minima quidem est ascensus ad maius significatio. Scripserat Tacitus: remeavere quieti. Tiridaten cet. Apud Gellium VI (VII), 3, 34 in codicibus sic scribitur: Usum esse Catonem dicit (Tiro) . . . argumentis parum honestis ac non viri et qui alio fuit, sed vafris ac fallaciosis. Ex his fit facillime: ac non viri æqui (equi) alioqui, sed vafris ac fallac. Cum alio a qui separatum esset, hoc transiit in fuit, mediis duabus litteris servatis. Quam necessarium esset alioqui, senserunt, qui sic ediderunt: viri eius, qui alioqui fuit. Ceterum apud Latinos paulo rarior hæc videtur esse, quam apud Græcos, erroris species, in qua longioris vocabuli prima pars pro integra voce ponitur; alterius illius, in qua vox integra conflatur cum sequenti aut aliqua sequentis parte, exempla videamus. Apud Plutarchum quæstt. conv. IV, 5, 2, 2 (p. 670 A) editur: *Τὴν δὲ ὑν ἀποχρηστῆσαι καὶ τιμᾶσθαι λέγουσι*, et additur deinde causa, cur honos sui habeatur. Ex verbo inaudito et particula *καὶ* fit *ἀπὸ χρηστῆς αἰτίας τιμᾶσθαι*. Sed prorsus eodem errore, quo hic in libro exigui pretii, verbum non minus barbarum natum est apud nobilem poëtam, Euripidem, in Heraclidis 495 (nam Nauckium quattuor versus sibi molestos facili delendi opera amolientem non moror), ubi cum poëta scripsisset: *εἰ μή τι τούτων ἐξ ἀμηχάνων ἴμεν* (nisi ex his difficultatibus nos expediemus), conflato *ἐξαμηχάνων*, corrigendo futuri temporis aliqua forma efficta est (*ἐξαμηχανήσομεν*). In Plutarchi Cimone c. 2, ubi in vitis hominum narrandis potissimum in pulchris factis immorandum dicit, hæc scribuntur: *ἐν τοῖς καλοῖς ἀναπληρωτέον ὥσπερ ὁμοιότητα τὴν ἀλήθειαν*. Sed nihil omnino est explere veritatem tanquam similitudinem (quasi similitudo sit); ipsa veritas (die Wirklichkeit), quam simillime fieri potest, exprimenda est, idque Plutarchus

dixit: ὡς παρομοιότατα. Ex ὡς παρ factum ὥσπερ, eo facilius, quod adiectivum compositum minus tritum erat quam simplex, tum ὁμοιότητα propter ὥσπερ. Apud Lucianum navig. 32 editur: οὐδεὶς γὰρ ὁ ἐναντιωθησόμενος ἡμῖν τὰ ὅπλα τοσούτοις οὖσιν. Ut ferri posset, quod ferri non potest, inauditum ἐναντιωθήσομαι pro ἐναντιώσομαι, tamen nemo ἐναντιοῦσθαι transitive dixit (τὰ ὅπλα); dividamus et unam litteram corrigamus; habebimus verum: ἐναντία θησόμενος ἢ. τὰ ὅπλα. Longius progressa est interpolatio ex prava separatione et copulatione orta apud Plutarchum adv. Colotem 28, 5 (p. 1123 E), ubi assensum retinere (Academicorum recentiorum more) rectum esse dicitur, εἰ μηδὲν ἄλλο, τήν γε διαφωνίαν ταύτην (philosophorum de veritate τῶν φαντασιῶν) λαβόντας αἰτίαν ἀποχρῶσαν ὑπονοίας πρὸς τὰ πράγματα καὶ οὐδὲ οὕτως ὑγιὲς οὐδέν, ἀσάφειαν δὲ καὶ ταραχὴν ἔχοντα πᾶσαν. Sententia, quæ recta esset, si scriberetur tantum πρὸς τὰ πράγματα ὡς οὐδὲν ὑγιὲς . . . ἔχοντα, interpositis illis καὶ οὐδὲ οὕτως prorsus perimitur. Sed in illis primum latet ipsum illud, quo carere non possumus, ὡς, deinde, illo seiuncto, efficitur aptissime: ὑπονοίας πρὸς τὰ πράγματα καὶ δέους ὡς ὑγιὲς κ. τ. λ. Cum ex δέους (quod ους ὡς coaluerant in οὕτως) solum superesset δε post καί, factum καὶ οὐδέ. Apud Senecam de vita beata 13, 3, ubi docet Epicuro, si honestà tueri velit, abiiciendum esse voluptatis nomen et titulum, sub quo disciplinam constituerit, sic scribitur in codicibus fide dignis (nam interpolatos et quæ inde nata sunt in superioribus editionibus, omittamus): Titulus itaque honestus eligatur et inscriptio ipsa excitans animum quæ statim venerunt vitia. Haasius, ut speciem (satis profecto malam) sententiæ efficeret, quinque verba interposuit, nulla, cur omissa essent, significata causa; videamus nunc, quam facile omnia in ordinem redeant: Titulus itaque honestus eligatur et inscriptio ipsa excitans animum; quæ **stat, invenerunt**

vitia. Voluptatis tanquam summi boni inscriptionem a vitiis ad se obtegenda inventum sit. Apud eundem de clementia I. 12 sic Hausius edidit: Sed mox [de Sulla] consequemur, quomodo hostibus irascendum sit utique si in hostile nomen cives et ex eodem corpore abrupti transierint. Bellum vero orationem: consequemur, quemodo irascendum sit! Seneca scripserat: Sed mox de Sulla, cum quaeremus, quomodo cet. Ad illum locum differt etiam de Sulla iudicium. Ex conquaeremus natum consequemur. (Cfr. persequeretur subsiciuum in codicibus pro per se quaereretur apud Livium XL, 12, 11.) Tertium petam eiusdem Senecae exemplum (nec copiam exhauriam), qui epist. 91, 11 in incendio montis describendo his verbis usus erat: Vasta vis ignium colles, per quos relucebat, erosit et quosdam altissimos vertices, solatia navigantium ac speculas, ad humile deduxit, apte duobus accusativis et duobus verbis copulatis. Cum vasta vis conflatum esset, littera extrema mutata, in vastavit, ex ignium, quod optimus codex servavit, natum est ignis, turbata tamen membrorum orationis cohaerentia, quam Hausius ut restitueret, ex ignium fecit ignis solum quattuor litteris adiectis, inciditque in vitiosam copulationem: vastavit . . . erosit et . . . deduxit. (Superiorum interpolationes hic ut alibi omitto.) Senecae addamus Festum, apud quem hoc errore natum est vocabulum non tantum ipsa longitudine mirabile: Praeciamitatores dicuntur, qui flaminibus . . . antecedentes exclamant cet. Id nomen ex graecis (qui apud Paulum p. 224 Muelleri appellantur) et alia conflatum esse, iam Scaliger intellexit, modo ne mercatores praeiuisset, quos hinc alienos esse recte iudicatum est, sed viatores, qui aptissimi sunt. Hic tamen error Paulo antiquior est, apud quem totidem litteris praeciamitatores ponuntur. Apud Gellium XX, 1, 34 iureconsultus, legem XII tabularum contra Favorinum

defendens, qui „negaverat eum, qui membrum per talionem rumpere vellet, efficere posse rumpendi pariter membri æquilibrium“, concedit difficile hoc esse, sed eam legis sententiam esse negat. Concessio ea his verbis concepta est: Verum est, mi Favorine, talionem rarissime fieri [et] difficillime. Codices et non habent; raritas ad rem nihil attinet; agitur de difficultate prorsus paris talionis; itaque primum in raris subest paris, in litteris sime (sume) latet summæ (summe), ut talionem paris summæ habeamus, id est, magnitudinis.

Tertio genere scribæ errabant in litteris, syllabis, verbis, quæ bis eadem aut pæne eadem scribenda erant, semel tantum, quod oculus ea non distinxisset, scribendis aut, quod paulo minus late patet, in geminandis, quæ semel scribenda erant, quod se iam scripsisse obliviscerentur. In litteris syllabisque facillime hoc accidebat in confiniis verborum. Ex Aristotelis politicorum II, 8, 7 (c. 11 sub fin. Bekk.) profertur verbum inauditum et inaudita forma fictum ἀριστοαρχεῖν. Aristoteles scripserat Græce: διὸ δεῖ τοὺς δυναμένους ἄριστα ἄρχειν, τούτους ἄρχειν. Plato cum in Philebo p. 17 D distinxisset ἕτερα τοιαῦτα ἐνόντα πάθη ἢ γιγνόμενα, natum est, altero η omisso, editurque ἐνόντα πάθη γιγνόμενα, ut γίγνεσθαι πάθη dicantur, quæ iam insint[1]). Strabo XIV p. 648 scripserat: Ἀναξήνορα δὲ τὸν κιθαρῳδὸν ἐξῆρε μὲν καὶ τὰ θέατρα, ἀλλ' ἐτίμα μάλιστα Ἀντώνιος. Semel scripto μα, factum est ἀλλ' ἔτι μάλιστα, in quo cum Meinekius iure hæsisset, substituit ἀλλ' ὅτι μάλιστα, prave posito ὅτι μαλ. pro simplici superlativo nec attendens post ἐξῆρε μὲν . . . ἀλλ' requiri alterum verbum. Plutarchus in vita Periclis c. 1 scripserat: ἐπεὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων οὐκ εὐθὺς ἀκολουθεῖ τῷ θαυμάσαι τὸ πραχ-

[1]) In Platonis Euthyphrone p. 6 A quantas turbas dederit ι semel scriptum, cum bis scribi deberet, suo loco exponetur.

τὴν ὁρμὴν πρὸς τὸ πρᾶξαι (quoniam in ceteris rebus non continuo admirationem facti sequitur studium faciendi). Omisso ἐπὶ genetivus non habet, unde pendeat, sententiaque expediri grammatice omnino nequit. Diodorus Siculus XIV, 53, ubi de Motya, Siciliæ urbe, a Dionysio et Syracusanis capta narrat, Sicilienses dixerat ὠμότητα ὠμότητι σπεύδοντας ἀμύνεσθαι omnes sine discrimine ullo sexus aut ætatis occidisse. Omisso nunc ὠμότητι sententia prava est; nam πρὸς τὸ ἀμύνεσθαι ὠμότητα nihil opus est ipsum sævire. Propter hanc denique errandi causam non paucis scriptorum locis post δή aut δέ excidit δεῖ, de quo mendo alibi dicam. Apud Iustinum (ut ad Latinos convertamur) XV, 2, 8 scribitur perverse: ut appareret eos non odii, sed dignitatis gloria accensos, quod Ieepius (ad XII, 5, 1) mire nescio qua zeugmatis figura excusat, quasi ex gloria alius ablativus ad odii sumi possit; nec tamen odio scribendum, sed, geminata littera, non odiis, sed. Apud Senecam de tranquill. animi 6, 3 quod editur: alius infirmum corpus laborioso pressit officio, neque per se premere corpus officio recte dicitur neque satis exprimit, qui exprimi debet, effectum rei et eventum; is exprimetur, si bis scripta o et p erunt: laborioso oppressit officio[1]). Velleius Paterc. II, 88, 2 de M. Lepidi consiliis Augusti interficiendi a Mæcenate oppressis nunc sic narrare videtur, quasi ob ipsa illa eo demum tempore, quo ea inita essent, Mæcenas urbi præpositus sit (Tunc urbis custodiis præpositus C. Mæcenas); verum et ex historia constat et ex reliqua ipsius Velleii narratione perspicuum est, Mæcenatem, cum iam pridem in ea potestate esset, Lepidi consilia comperisse et prævenisse. Recta omnia erunt retractis quattuor litteris, quæ bis scribi debuerant: con-

[1]) Etiam apud Val. Max. IV, 6, 3 debuerat teneri ab Halmio, quod in codice aliquo corrigendo, sed recte corrigendo ortum est, morbo oppressa pro pressa.

silia inierat. **Erat** tunc urbis custodiis præpositus C. Mæcenas. M. Varronis est fragmentum e Bimarco satira apud Nonium p. 248 sic expressum: Socius es hostibus, socius ita bellum geris, ut bella omnia domum auferas. Restituetur acumen apertissimæ formæ retracta voce, quæ post hostibus excidit: Socius es hostibus, **hostis** sociis; ita bellum geris cet. Apud Ciceronem de domo 128 codices habent: statuebantur aræ, quæ religionem afferrent ipsi si loco essent consecratæ. Et tota condicio inepta est (— quis enim aras religionem allaturas putare poterat, si non essent consecratæ?) et loco, quod sic positum significare debet recto et apto loco, sententiam non habet; ipsi editores aut delent aut in ipsæ mutant, quod vitiose abundat. Scripserat Cicero: quæ religionem afferrent ipsi **ei** loco, **quo** essent consecratæ. Cum excidisset quo post co, etiam ei in si transiit. Excidit quæ post aqua apud Senecam quæstt. nat. II, 25 et 26, qui locus sic scribendus et continuandus est: cum (nubes) sint humidæ, imo udæ, quomodo possunt gignere ignem, quem non magis verisimile est fieri ex nube quam ex aqua, quæ ex nube nascitur? Apparet, quam apte extrema hæc conclusionis causa addantur; vulgo verba Ex nube nascitur sine ulla sententia per se ponuntur, etiam in novi capitis initio. Idem epist. 21, 9 sic scripserat: iubeo illum dividere sententiam et sequor, quod probo (id est, eam partem divisæ sententiæ, quam probo). Eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, cet. Omisso quod post (se)quor sententia et oratio pessundata est, quam Haasius adiuvare infeliciter studuit. Qui dividi iubet sententiam, non totam sequitur. Paulo longius aberratum est apud Senecam Rhet. p. 172 (153 Burs.): Obiecit patri. quod fratrem abdicasset, non schemate, sed certo. Neque omnino certo obiicere dicitur neque contrarium est ei, quod per figuram et tecte fit. Scriptum erat sed

directo; omisso altero **d**, ex sed irecto factum est sed certo. Sunt quædam in Latinis codicibus inter se in concursu prope infesta, ut alterum sæpe extrudatur, velut non et con, cuius rei nunc duo exempla sufficiant, alterum Gellii XIV, 1, 19, ubi scribendum est: quærebatque (Favorinus), qui **non** conveniret (vulgo qui conveniret); nam convenire et fieri debere dicebat; alterum Valerii Maximi I, 1 E 2, ubi e codice omnium principe B, qui a prima manu ita habet: factum Masinissæ animo quidem Punico sanguini conveniens, scribi debet: factum Massinissæ animo quidem, Punico sanguini **non** conveniens; (vulgo ex interpolatis codicibus edebatur: animo plus quam P. s. conveniens; Halmius coniecit: animo quam P. s. convenientius); tum **m** in fine vocabuli et initio proximi **in**, quo errore in fragmento Sallustii apud Nonium p. 489 (hist. III, 15 Dietsch.) scribitur: nam tertia nunc (recte iam alii luna) erat et sublima nebula cœlum obscurabat; scribi debet nam incerta luna erat; numerus ad rem nihil facit. (Bis apud Tacitum sic ex impotentia factam potentiam suo loco ostendetur[1]). In his igitur semel scripta, quæ bis (aut tota eadem aut admodum similia) scribi debebant. Contrarii erroris, quem paulo minus late patere dixi, simplicissimum exemplum Strabo præbeat, qui cum II p. 117 posuisset τὰς εὐθείας (rectas lineas) μικρὰ συννευούσας ποιεῖν, hoc est, leniter convergentes, librarius fecit μικρὰς συνν.. quod Kramerus et Meinekius ediderunt, quasi brevitas lineæ quicquam ad rem pertineat (et βραχεῖαι illæ essent, non μικραί); superiores inde a Xylandro μικρὸν, recta sententia. Apud eundem VI p. 280 cum esset: οἱ δὲ σταλέντες κατέλαβον (deprehenderunt) τοὺς Ἀγαιοὺς πολεμοῦντας τοῖς βαρβάροις, geminatis litteris το barbarus natus est

[1]) Altera e duabus vocibus relativis (quod cum, quoniam cum) facile *omittitur etiam ob compendiorum similitudinem.*

verbi medii usus κατελάβοντο[1]). Ne illud quidem, quod apud Platonem in Politico p. 309 B scribitur κροκώδει διανήματι, vocabulo et inusitato (nemo enim nec διάνημα nec διανήθειν dixit, non magis quam Latine pernere) et inepto ad rem (agitur enim simpliciter de filo), aliam habuit originem; δια enim ex δει natum est. E Latinis apud Ciceronem in oratione II de leg. agr. 33, cum ab ipso scriptum esset: infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ vestris vectigalibus non fruendis, sed alienandis, geminando effectum est conficiendæ de (nam sæpe conficiende scribebatur); pecunia conficitur fruendis vectigalibus, non de fruendis. Apud Valerium Max. IV, 6, 1 editur: Ti. Gracchus anguibus domi suæ mare ac femina adprehensis, vitioso participio (— saltem comprehensis dicendum erat —); sed id ortum est ex deprehensis littera a, quæ præcedit, geminata, tum ex adeprehensis sublato e[2]). In fragmento orationis Scipionis Africani apud Gellium VI (VII), 11, 9, ubi adversarium iubet vitia obiecta sponsione defendere et falsa esse convincere, sic scribitur: Non vis nequitiam (defendere); age, malitiam saltem defendes. Si tu verbis conceptis cet. Et per se prave in huiusmodi provocatione futurum ponitur et propter age; sublato altero s rectum erit: age, malitiam saltem defende. Apud Senecam

---

[1]) Contra apud Plutarchum in vita Ciceronis c. 4 semel scripto, quod geminandum erat, το natum est activum verbum non minus vitiosum pro medio: ὥσπερ ὄργανον ἐξήρτυε (scr. ἐξηρτύετο) τὸν ῥητορικὸν λόγον. Nam de instrumento, quo quis accingatur, tantum ἐξαρτύεσθαι dici, ostendit, si opus est, ipse Plutarchus Brut. c. 28, Pericl. c. 8, de sollert. anim. 19, 8.

[2]) Contra apud Senecam Rh. p. 95 (80) acutula sententia e contrariis membris: Damnata deiecta est (incesta de saxo), absoluta adscendit corrupta est semel scripto a, tum addito e, ut esset descendit.

de vita beata 23, 4 et ex volet orto et vitiosa facta est oratio (et habebit itaque, copulato et itaque[1]) et sententiæ progressio sublata; primum enim per se dicitur: sic (sapiens) pauper, si potuerit esse dives, volet; tum adiungitur, qua ratione in divitiis se gesturus sit. Quid vitii proximo capite (24, 3) ad formam rhetoricam habeat eadem particula ex iubet orta, non exponam. (Hominibus prodesse natura iubet; servi liberine sint hi, ... quid refert? Vulgo iubet, et servi cet.) Accessit ad geminationem alius error apud eundem in libro de constantia sap. 9, 2, ubi editur irritatis in nos potentiorum motibus, miro sane loquendi genere; sed codices optimi habent motis; semel scripta littera m (otis), efficietur facile rectum: potentiorum odiis. Apud eundem Senecam qui in epist. 89, 13 Ariston Chius appellatur usitato cognomine, quo a Ceo distinguitur, epist. 94, 2 prorsus inusitate Ariston Stoicus dicitur, cum præsertim nulla sit scholæ magis in eo quam in Cleanthe (§ 4) notandæ causa. Sed ex repetita syllaba ston natum Stoicus est, cum Seneca Chius scripsisset. (Alius generis est geminatio, quæ oritur, cum ei, quod prave scriptum est, librarius, errore animadverso, rectum addit nec tamen prius illud delet parcens nitori, quomodo apud Senecam quæstt. nat. VII, 30, 5, cum ab ipso Seneca sic scriptum esset: Quam multa animalia hoc primum cognovimus seculo! quam multa ne hoc quidem! Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet, librarius primum ex ne hoc effecit negotia — et erratur alibi non multo aliter, — deinde recte scripsit; et nunc quoque in editionibus utrumque coniungitur: quam multa negotia ne hoc quidem seculo! Quæ, quæso, hæc est negotiorum cognitio, futuro seculo reservata et

[1]) Rectissimum est, ne quis me oblitum credat: itaque et .. et, et .. itaque .. et, hoc quidem apud eos, qui omnino itaque extra primum locum ponunt.

cum animalium cognitione coniuncta? Neque ex alio fonte orta mira penatium mentio apud eundem Senecam de vit. beata 25, 4: iura reges penatium petant; ipse scripserat tantum: iura reges a me petant.)

Quarto genere aberrabant oculi minus attenti omittendo (extra illa, quæ bis eadem aut pæne eadem scribenda erant). In ipsis mediis verbis litteræ et syllabæ omittebantur aut sola festinatione et casu aut alius verbi non dissimilis specie obiecta, ut cognatus hic error sit cum primo, quod supra posuimus, genere. Sola festinatio effecisse videtur, ut apud Plutarchum in vita Crassi c. 11 Romani a Crasso ad collem aliquem occupandum missi in periculum incidisse dicantur indicio duarum feminarum *προθυμένων τοῖς πολεμίοις*, cum Plutarchus scripsisset *προθυμουμένων* (quæ faverent et cuperent hostibus); nam *προθύειν τινί* est deo alicui primum sacra facere, *προθύειν* (*προθύεσθαι*) *τοῖς πολεμίοις* nihil, nec hic sacrorum mentioni ullus locus est; utraque causa valuit, ut moribus pro maioribus scriberetur, quod mendum Bursianum decepit apud Senecam Rhet. p. 110 (93); (amoribus pro a maioribus codex Pal. 1 in Cicer. de fin. II, 115;) accessit tertia ex similitudine syllabarum vicinarum, ut apud Ciceronem de fin. V, 55 pro ætatulis scriberetur etalis. Interdum ambigas, utra ex duabus illis prior fuerit, velut apud Lucianum paras. 39, ubi editur: *ὅτι δὲ κατὰ πολλὰ διαφέρει φιλοσοφίας καὶ ῥητορικῆς ἡ παρασιτικὴ, πῶς ἐπιδεικνύεις*; sed ita interrogari nullo modo potest, quoniam in multis iam negotiis et vitæ partibus suam artem alteris illis præstare parasitus docuit, nunc transit ad eius in uno aliquo novo genere præstantiam demonstrandam; scriptum fuerat: *ὅτι δὲ κατὰ τὰ πολιτικὰ διαφέρει φιλοσοφίας κ. τ. λ.* Hoc enim deinceps exponitur, et pace et bello in reipublicæ administratione superiorem et philosopho et oratore parasitum esse. Seneca de benef. II, 34, 1 scripserat:

Primum fecit (aliquid is, quem tu negas quicquam fecisse); bono animo bonum (animum) obtulit et, quod est amicitiæ, ex æquo posuit. Deinde aliter cet. Ex posuit facto post (ex æquo. Post deinde aliter cet.) prioris sententiæ etiam forma eversa est (qui enim coniunguntur hæc obtulit et .. ex æquo?), tum mire præcedenti primum subiicitur post deinde[1]). Ab omissis in mediis verbis ad verba tota singula plurave omissa transeamus. Et omittitur interdum in codicibus sic verbum unum et alterum, ut præter neglegentiam festinationemque et casum nulla causa afferri possit; sed tamen in antiquis et accurate scriptis præter paucos, qui hoc genere peccant, velut is, quo uno Livii libri quinque postremi continentur (vid. emendd. Livian. p. 490 sqq. et de codicibus librorum Ciceronis de finibus præfat. nostræ editionis p. L), exceptis minoribus quibusdam voculis, quæ facilius oculos fugiebant, id raro accidit, ut certis et firmis rationibus maxime ex manifesta totius sententiæ forma ei pugnandum sit, qui vocabulo simpliciter addendo codicum mendum corrigere conetur nec causam eius omissi reddat. Plerumque aliqua ex præcedentis aut subsequentis vocis aut partis vocis similitudine causa apparet, etiam in minoribus illis vocibus, velut quod in Græcis codicibus non raro scribitur vitiose ἥκιστα, μάλιστα pro ἥκιστ᾽ ἄν, μάλιστ᾽ ἄν, quo genere testimoniorum quidam incaute utuntur[2]). Sed tamen apud Valerium Maximum IX, 2 E 4 in his verbis: cui (Zisemi Thraciæ regi) neque vivos homines medios secare neque parentes liberorum vesci corpori-

---

[1]) In Ciceronis III de finib. 44 codex archetypus habuit Postne; in recentioribus recta coniectura scriptum est Potestne.

[2]) Contra etiam ex ἥκιστα oritur ἥκιστ᾽ἄν. Etiam negandi particulas interdum omitti, de Latinis ostendi ad Cic. de fin. III,

bus nefas fuit, excidisse in altero membro infinitivum activum cum secare copulatum certum est, etiamsi causa omissi afferri nequeat (corporibus cogere nefas fuit); nam, ut constructionem duram et pravam taceam, ipsius tyranni actio et imperium necessario significari debet. (Si fuit vesci cogere corporibus, potuit oculus ad alterum co in corporibus aberrare.) Et ex duabus vocibus universe similibus omissa altera cadit sub id genus, quod proxime tractavimus (semel scribendi); sed si ex duabus tantum initio aut fine similibus altera excidit, tenemus iam genus erroris notissimum, quo propter duas similes voces aut vocum partes intervallo non ita magno positas librarius, oculo a priore ad alteram transiliente, alteramutram cum interpositis omnibus neglegit et excludit. (*Ὁμοιοτελεύτου* nomen non totam rem comprehendit.) Atque hoc genus erroris in omnium scriptorum codicibus omnibus (ex nostrorum archetypis propagatum) interdum reperitur, in quorundam, velut e Græcis Plutarchi (in moralibus), e Latinis Senecæ late patet, non raro iam animadversum et correctum, (quanquam etiam prave hoc genus emendandi non ita raro tentatum est). Novum exemplum hic ponatur e Plutarchi libello, Non posse svaviter cet., 3, 4 (p. 1087 E), ubi tanquam ex Epicuri mente hæc ponuntur: *Πᾶσα γὰρ ἡδονὴ περὶ ἄρθρα καὶ νεῦρα καὶ πόδας καὶ χεῖρας.* Qui Epicuri sententias vel leviter norunt, sciunt, non in articulis et nervis, arthritidis et aliorum dolorum sede, non in pedibus et mani-

---

74 p. 473 ed. 2, de Græcis exempla quædam aliis locis ponam; sed in iis quoque valet sæpe aliqua similitudinis causa, ut in non omisso ante con; in Platonis de legg. p. II, 659 B, quem locum mihi ante XL annos in margine correctum Winckelmannus præripuit, ad ω præcedens accessit fortasse gravior causa, comparandi forma negativa et brevis librariis insolens.

bus, podagræ et chiragræ domicilio (et addit Plutarchus post χεῖρας: οἷς ἐνοικίζεται πάθη δεινὰ καὶ σχέτλια, cetera), sed in ventre et pudendis eum voluptatis originem posuisse; scripserat Plutarchus: Πᾶσα γὰρ ἡδονὴ περὶ γαστέρα, πᾶσα δ' ἀλγηδὼν περὶ ἄρθρα καὶ νεῦρα κ. τ. λ., etsi potest etiam post γαστέρα addidisse καὶ αἰδοῖα. Apud eundem in vita Lycurgi c. 30 scribitur: Ἀλλ' ἡ πειθαρχία μάθημα μέν ἐστιν ἄρχοντος (ἐμποιεῖ γὰρ ὁ καλῶς ἄγων τὸ καλῶς ἕπεσθαι κ. τ. λ.). Mire per se obedientia imperantis virtus ponitur, quæ videtur imperio subditi, et mira etiam subiicitur ratio, cur obedientiam imperator discat. Sed argumentationem supervacuam facit una particula μέν, alterum membrum desiderari ostendens; huiusmodi enim fuit sententia et oratio Plutarchi: Ἀλλ' ἡ πειθαρχία μάθημα μέν ἐστιν ἀρχομένου, δίδαγμα δ' ἄρχοντος. Idem (nam in latissime patenti erroris genere et ad sententiam pergravi et sæpissime fallenti tribus exemplis unius scriptoris uti placet, cetera alibi ponenda relinquere), idem igitur in vita Coriolani c. 4 cum de Coriolano semper novis belli decoribus priora superante et de imperatoribus in eo ornando certantibus sic scripsisset: καινὸς ἀεὶ βουλόμενος εἶναι ταῖς πράξεσιν ἀριστείαις ἀριστείας συνῆπτε καὶ λάφυρα λαφύροις ἐπέφερε καὶ τοῖς προτέροις ἀεὶ τοὺς ὑστέρους ἡγεμόνας εἶχε περὶ τῆς ἐκείνου τιμῆς ἐρίζοντας καὶ μαρτυρίας σπουδάζοντας μαρτυρίαις ὑπερβαλέσθαι aut simillime (— nam ζητοῦντας scripsisse potest et verba sic ordinasse: μαρτυρίαις σπ. μαρτυρίας —), omissis duabus vocibus et sententia depravata est (neque enim de testimoniis superandis universe agitur) et structura; nam neque ὑπερβαλέσθαι, unde pendeat, habet neque Græce dicitur ἐρίζω περὶ Μάρκου τιμῆς καὶ ὑπερβαλέσθαι μαρτυρίας. Addamus nunc Plutarcho scriptorem maioris et antiquitatis et dignitatis, Herodotum, cuius locus, qui est in libro I c. 167 initio, quas habeat, qualis editur, difficultates quamque

frustra hactenus eas editores tollere conati sint, non dicam; ponam, quod et ex tota narratione et ex eorum, quæ intacta manserunt, forma manifestum est Herodotum scripsisse: *Τῶν δὲ διαφθαρεισέων νεῶν τοὺς ἄνδρας οἵ τε Καρχηδόνιοι καὶ οἱ Τυρσηνοὶ διενείμαντο, καὶ οἱ Τυρσηνοὶ ἔλαχόν τε αὐτῶν πολλῷ πλείους καὶ τούτους ἐξαγαγόντες κατέλευσαν.* (Potuisse etiam *διείλοντο* scribi et addi *δύο μέρη*, quid opus est dici? Nam in hoc genere sententia et orationis forma, non omnia verba præstari possunt.) Postremo redeamus ad inferiores et ex iis Plutarcho adiungamus Diodorum Siculum, apud quem XIV, 25 (in Proxeni oratione) mirum est neminem sensisse in his verbis: *τῷ βασιλεῖ λέγειν, ὡς, ἂν περὶ ἡμῶν κακόν τι βουλεύηται, διὰ τούτων* (id est *τῶν ὅπλων*) *πρὸς αὐτὸν ἀγωνιούμεθα περὶ τῶν ἀγαθῶν τῶν κοινῶν* et sententiam alteram esse mancam, quoniam altera tantum condicio ponatur ex duabus, et apertissime initio repugnare exitum *περὶ τῶν ἀγαθῶν τῶν κοινῶν*. Nam neque de bonis, quæ universe dicuntur, sed de vita et salute tum esset dimicandum neque ulla erant tum communia bona (regis et Græcorum). Scriptum fuerat hac forma: *ὡς, ἂν περὶ ἡμῶν κακόν τι βουλεύηται, διὰ τούτων πρὸς αὐτὸν ἀγωνιούμεθα, ἂν δ' ἀγαθόν τι, μετ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀγωνιούμεθα περὶ τῶν ἀγαθῶν τῶν κοινῶν*. Mutavit Diodorus nonnihil, quæ apud Xenophontem dicuntur anab. II, 1, 12. In Latinis ut a brevissimo exemplo ordiar, apud Senecam de tranqu. an. 5, 5 scribitur: Curius Dentatus aiebat, malle esse se mortuum quam vivere. Non gravis hæc cum acumine aliquo sententia est, sed desperationis vox ad mortem ocius consciscendam spectans, aliena a Dentato, aliena a loco, in quo hoc disputatur, virtutem ne periculoso quidem et tristi tempore desidem torpere debere. Itaque non vitæ, sed desidi et turpi vitæ mortem Dentatus præferebat, dixeratque malle esse se mortuum quam **nequam** vivere; scriba a priore quam ad alterum tran-

siluit. Apud Valerium Maximum IV, 4, 11 sic interrogatur: Quid ergo modicam fortunam quasi præcipuum generis humani malum diurnis conviciis laceramus, quæ cet.? Ridicule perpetua convicia et quæ omni tempore audiantur, diurna dicuntur, ut diligenter nox excludatur. Rectum esset quotidianis. Nam quod inde a Livio etiam quæ ad singulos dies pertinent et unius diei mensuram habent, diurna dicuntur (ut cibus, apud ipsum Valerium VI, 9, 8 diurnæ capturæ), nemo tamen pro quotidiano, id est, quod nullo non die fiat, id adiectivum posuit. Apparet Valerium scripsisse diurnis atque nocturnis, librarium a priore urnis transiluisse ad alterum. Quintilianus VII, 7, 9, proposito declamationis artificiose sane excogitatæ exemplo, in qua libertinus homo et eius filius, qui a communi patrono heres institutus ipsius patris patronus factus est, in vicem manus iniectionem petunt, alter patris, alter patroni iure, deinde, cuius rei causa exemplum posuit, demonstrat utrique litigatori de iure controversiam esse. Sed huius demonstrationis, quod utrumque membrum similiter incipiebat, prius membrum excidit, ut manca sit neque consilio Quintiliani respondeat. Is sic posuerat: **Et pater * *** et patronus negat ius patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit. Ipsa verba, quibus Quintilianus de patre usus erat, fingi pluribus modis possunt; sed formæ loci id quoque manifestum vestigium superest, quod antiquissimus codex Turicensis a prima manu habuit et pater; itaque librarius his scriptis media atque et patronus omiserat transieratque ad negat ius; cum autem intellegeretur, verba, quæ superessent, in patrem non convenire, corrigendo factum est et patronus. Necessario et ad mendi intellectum et ad emendationis confirmationem cum hoc loco coniungendus est alter eiusdem scriptoris in libro V, 10, 56, ubi quod sententiæ huius confirmandæ causa: Genus ad probandam speciem minimum valet, plurimum ad refellendum alterum

ponitur exemplum: nec, quod non est virtus, utique potest esse iustitia, id et per se pravissimam habet sententiam et orationem (— sic enim dicitur, quasi quis ex eo, quod aliquid non sit virtus, concludere conetur, necessario sequi, ut possit esse iustitia —), neque aut ei sententiæ, cuius causa ponitur, recte respondet (— deest enim, ex quo appareat genus non valere ad probandam speciem, —) aut priori exemplo, quod plenum et aptum est. Sed hic quoque indicium mendi manifestum est in ipsis antiquis codicibus; nam in Turic., Ambros., Florent. scribitur quod est virtus aut q. v. est (sine negatione), deinde in Turic. et Flor. utique **non** potest esse iustitia (Ambros. et Flor. iniustitia). Ita igitur supplendus locus est: Nec, quod virtus est, utique **est iustitia, sed, quod virtus non est, utique** non potest esse iustitia. Sic demum et oratio et sententia recta et exemplum consilio aptum est. In poëtarum operibus in mediis versibus hoc genus erroris propter ipsum versum non facile accidit (etsi fieri potest, ut, oculo librarii a vocabulo præcedentis versus ad simile sequentis aberrante, tamen versus forma servetur); illud accidere potest, ut librarius ab initio versus alicuius ad simile versus alicuius subsequentis initium aberrans priorem aut posteriorem et medios omittat; maximeque in distichis sic errari potest, si aut hexametri duo proximi aut pentametri similiter incipiunt. Eius rei exemplum est in Ovidii Epist. VIII, ubi in v. 21 et 22 neque oratio constat (neque enim post si omitti esset aut fuisset potest) neque sententia ulla est. Ovidius scripserat: Sit socer exemplo nuptæ repetitor ademptæ (sequere exemplum soceri tui); deinde excidit pentameter et hexameter ab si incipiens condicionemque continens (Si, ut tu, lente raptam coniugem tulisset), cuius apodosis est in v. 22: Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.

Cum prætermissis oculo transiliente verbis coniuncta est transpositio quædam, cum aliquid primum a scriba ad

inferiora aberrante prætermissum postea aut ab ipso statim, animadverso errore, loco non suo inseritur, aut in margine sive ab ipso sive ab alio annotatum deinde ab alio novi exempli librario in contextu alieno loco ponitur, interdum etiam plurium versuum sententiæ. Interdum scriba uno paucisve verbis ex inferiore loco præceptis redit ad rectum ordinem eaque, quæ præceperat nec, ne nitori exempli noceret, deleverat, iterum suo loco scribit; rarius etiam ex superiore loco verbum verbave oculo oblata iterum ponit, qui error non facile fallit[1]). Aberratio autem illa ad posteriora interdum ita fiebat, ut, cum, finita pagina aut columna, ad novam transeundum esset, oculi scribæ oscitantis non in proximam, sed in subsequentem inciderent; itaque ex his erroribus etiam de forma codicum, ex quibus nostri orti sunt, coniectura ducitur. Sed ea hic persequendi locus non est. Præceptorum ex inferiore loco verborum exemplum præbeat Plutarchus, apud quem in Mario c. 15 in his: *Τὴν δὲ κομιδὴν ὧν ἔδει τῷ στρατεύματι μακρὰν καὶ πολυτελῆ πρότερον οὖσαν πρὸς τὴν θάλασσαν αὐτὸς εἰργάσατο ῥᾳδίαν καὶ ταχεῖαν* quid significent verba *πρὸς τὴν θάλασσαν*, nemo quamvis enarrandi artifex tolerabiliter expediet; neque enim agitur de rebus ad mare deportandis, sed de rebus mari advectis in terram exponendis, ut deinde terrestri itinere longius portentur. Sed tria illa verba, quibus deletis omnia rectissima sunt, huc ex inferiore eiusdem capitis loco translata sunt, ubi apte ponuntur de fossa ex Rhodano in alium littoris locum ducta et *λεῖον καὶ*

[1]) Fefellit tamen hominem errorum satis patientem Sintenisium in Plutarchi vitis sæpius, ut in Pelopidæ vita c. 16 (*ἐκ μεταβολῆς*), in Cleom. c. 25 (*ὥς φησι*); fefellit etiam Haasium in Senecæ de benef. VII, 14, 2, ubi recte superiores (cuius faciendi occasionem non habuit, deleto non esse); ipse recte cum ceteris c. 15, 3 delendum significavit debes, eodem modo ortum.

ἄκλυστον στόμα λαβούσῃ πρὸς τὴν θάλασσαν. E Latinis Seneca consol. ad Marc. 9, 5 cum sic scripsisset: Quicquam tu putas non futurum, quod scis posse fieri, quod multis vides evenisse, recte primum absolute τὸ δυνατόν ponens, in quo nihil loci multitudo aut paucitas habet, deinde rem sæpe factam, prave ex posteriore loco multis etiam in prius membrum illatum est: quod multis scis posse fieri, in quo etiam plane inusitatum est multis fieri pro eo, quod est multis accidere. Longe enim aliter dicitur: Quid ei fiet? aut idem facio ceteris (vid. ad Cicer. de fin. II, 79 p. 274). Si posset dativus poni, dicendum erat omnibus.

Plurium verborum et totius sententiæ traiectæ exemplum Græcum sumi potest e Strabonis lib. XVI p. 778, ubi mediæ narrationi de Arabibus in stratis ex radicibus fruticum odoriferorum dormientibus et propterea in veternum incidentibus prorsus inepte interponuntur aliquot verba de mercibus odoratis ab Arabiæ finibus per propinquos populos ultra portatis: διαδεχόμενοι δ' οἱ σύνεγγυς ἀεὶ τὰ φορτία τοῖς μεθ' αὑτοὺς (editur μετ' αὐτοὺς) παραδιδόασι μέχρι Συρίας καὶ Μεσοποταμίας, quæ manifesto transferenda et ponenda infra sunt post ea verba, quibus merces ab ipsis Arabibus portatæ describuntur, hoc est, post δερματίνοις πλοίοις. Apud eundem XI p. 502 sq. sic scribitur (de Albanis ad Caucasum): Θηρευτικοὶ δὲ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν εἰς ὑπερβολήν, οὐ τέχνῃ μᾶλλον ἢ σπουδῇ τῇ περὶ τοῦτο. Διαφέρουσι δὲ καὶ οἱ βασιλεῖς. Apparet illud de arte et studio in canibus saltem non recte poni, de regibus autem nimis infinite dici, abundare etiam, ut nunc oratio habet, τῇ περὶ τοῦτο. Strabo sine dubio scripserat: . . . εἰς ὑπερβολήν. Διαφέρουσι δὲ καὶ οἱ βασιλεῖς οὐ τέχνῃ μᾶλλον ἢ σπουδῇ τῇ περὶ τοῦτο. E Latinis apud Hirtium (sive alius est scriptor) belli Alexandrini c. 72 Zelæ, oppido Ponti, circumiecti colles describuntur: quorum editissimus unus, qui propter

victoriam Mithridatis et infelicitatem Triarii detrimentumque exercitus nostri superioribus locis atque itineribus pæne coniunctus oppido magnam in illis partibus habet nobilitatem nec multo longius milibus passuum III abest ab Zela. Quis non videt, illa superioribus locis — coniunctus oppido ne umbram quidem coniunctionis habere cum nobilitate collis ex victoria Mithridatis et clade Triarii, sed cohærere cum situ collis et ab oppido intervallo? Itaque manifestum est, verbis illis transpositis sic locum esse scribendum: quorum editissimus unus, qui propter ... detrimentumque exercitus nostri magnam in illis partibus habet nobilitatem nec multo ... abest a Zela, superioribus locis atque itineribus pæne coniunctus oppido. In Senecæ philosophi scriptis etsi Haasius aliquoties iniuria hoc erroris genus deprehendisse sibi visus est (velut epist. 15, 7 et 9), alibi tamen manifestum mendum recte sustulit, ut de beneficiis III, 29, 5. Nec minus certus aut error aut correctio est in eiusdem operis libr. III, 12, 2, ubi in comparatione beneficiorum, quæ aut ad ornamenta aut ad solatia et tutelam accipientium pertineant, in his verbis: invenies rursus, qui dignitati suæ quam securitati consuli malit et qui plus ei debere se iudicet, per quem tutior est, quam ei, per quem honestior, utrumque genus confundi apparet et apertissime repugnare dignitati suæ aliquem consuli malle et eundem plus ei se debere iudicare, per quem tutior sit quam per quem honestior, id est, per quem dignitate augeatur. Omnia recta erunt, posteriore hoc membro ad præcedentem sententiam, a qua avulsum est, sic retracto: Invenies, qui nihil putet esse iucundius, nihil maius quam habere, in quo calamitas acquiescat, et qui plus ei debere se iudicet, per quem tutior est, quam ei, per quem honestior; invenies rursus, qui dignitati

suæ quam securitati consuli malit; proinde ista cet. Et legitur sic in codice Rottendorfiano seculi XII, ut errorem non ex omnium nostrorum principe propagatum esse appareat. Nam coniectura illa ætate huiusmodi nihil corrigebatur. Manifestissimam totius, ut opinor, in codice archetypo, columnæ transpositionem in consolatione ad Marciam factam alio loco aperiam[1]). Sed tamen hi errores, si cum ceteris generibus, quæ persequimur, comparantur, omnibus partibus pauciores sunt.

Coniuncta ex aliqua parte cum hoc transponendi errore, genere tamen ipso aliquantum diversa est perfrequens illa, frequentior tamen in Latinis codicibus (velut Ciceronis), maxime inferiorum seculorum, quam in Græcis, ordinis verborum continuorum permutatio (ut bonus vir pro vir bonus scribatur contrave et similia infinita), quæ non tam oculorum errore oritur quam memoriæ plura verba simul scribendi causa comprehensa non ordine servantis, interdum quod magis adsuetus scribenti alius est ordo (velut quis enim est quam quis est enim), raro, quod verba ad sententiam coniungenti falsa species occurrit. Atque ex hac verborum transpositione, quæ in certis quibusdam vocibus, ut verbo substantivo, liberius etiam fit et frequentius, inanissimæ a nonnullis ductæ sunt suspiciones ad verba propter instabilem sedem damnanda et eiicienda, potiusque aut additamenti aut alius mendi suspicio iure nascitur, si vox constanter eo loco scribitur, quem sententia aut orationis regula eam tenere non patitur. Sed quanquam hæ minores vocum transpositiones plerumque ad sententiam nullius aut exigui, ad orationis consuetudinem rhetoricamque formam nonnullius sunt momenti, interdum tamen ipse sensus transponendo mutatur, maxime cum transpositio in confinio sententiarum aut membrorum sententiæ accidit

[1]) Prorsus similem ei, quam apud Cicer. de orat. III, 201 factam Kayserus animadvertit et sustulit. Eam ego a. 1848 animadverteram et in margine exempli mei emendaveram.

et terminos migrat. Sed in eiusmodi locis non raro falsa sententiæ species obiecta scribam decepit, ut iam interpolatio hæc sit. Velut apud Plutarchum in vita Lycurgi c. 28, ubi agit de Helotis fortibus a Spartanis dolo sublatis, quod editur: *ὡς μήτε παραχρῆμα μήτε ὕστερον ἔχειν τινὰ λέγειν, ὅτῳ τρόπῳ διεφθάρησαν. Ἀριστοτέλης δὲ μάλιστά φησι καὶ τοὺς ἐφόρους, ὅταν εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῶσι πρῶτον, τοῖς εἵλωσι καταγγέλλειν πόλεμον, ὅπως εὐαγὲς ᾖ τὸ ἀνελεῖν*, prorsus inepte Aristoteles, qui novi, quod superioribus additur, auctor laudatur, maxime hoc tradere dicitur. Fuerat: *ὅτῳ τρόπῳ διεφθάρησαν μάλιστα. Ἀριστοτέλης δέ φησι κ. τ. λ.* Notissimus adverbii usus in interrogando cum dubitatione librario tamen ignotus fuisse videtur. Cicero in oratione de domo 71 P. Lentulum laudat, quod tam honorifice de suo reditu tulerit: voluisti . . . me ita esse in republica, magis ut arcessitus imperio populi Romani viderer quam ad administrandam civitatem restitutus. Apparet in hac comparatione ad restitutionem, qua nihil continebatur, nisi ut Ciceroni liceret in patria esse et qua sola Lentulus non contentus fuisse dicitur, nihil pertinere illud ad administr. civit. et incommode addi quasi augendi causa, contra ad honorificum illud populi imperium, Ciceronis se prudentia et virtute carere non posse iudicantis, quam maxime pertinere, scribendumque esse particula in suam sedem retracta: arcessitus imperio p. R. viderer ad administrandam civitatem quam restitutus. Apud Senecam epist. 15, 12 (de ea fortuna, quæ data sit, grato animo accipienda nec semper maioribus petendis) sic scribitur: Finem constitue, quem transire ne possis quidem, si velis. Debebat esse: ne si velis quidem, possis. Sed potestatem finem transeundi ipsi constituere non possumus, voluntatem in certo fine consistendi, quamvis ultra progredi fortasse liceat, præstare nostrum est. Scripsit igitur Seneca: quem transire, ne

si possis quidem, velis. Non intellecta implicatione verborum et ne-quidem ad unum possis relato, particula condicionalis transposita est eodem modo, quo in Ciceronis oratione pro Milone 32 factum id esse olim docui. Non ita raro librarii pro potest non (subiecto infinitivo, ad quem negatio pertineat) non potest scripserunt (quod mendum in Ciceronis Philippicis a Mureto, alibi ab aliis correctum est); etiam apud Senecam quæstt. nat. VII, 25, 2, ubi scribitur: adeo animo non potest liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipse se quærat, scribi debet: adeo animo potest non liquere; hoc enim docetur, mirandum non esse, si animus de aliis quoque rebus dubitet nec certam sententiam habeat, non negatur, quicquam animum scire posse; nec in ea re Seneca liquere posuisset, quod in hac incerti iudicii significatione propriam habet sedem.

In quinta erroris classe accommodationem posui grammaticam, quæ fit, cum librarius, ad totam sententiam non attentus, voces vicinas et continuas aut saltem non longe dissitas, sed grammatice separatas, obscuro animi motu tanquam grammatice copulatas forma (casu, numero, genere, persona, modo) similes reddit, hærentem ex priore in animo formam ad alteram aut (quod rarius fit) præceptam ex posteriore ad priorem transferens. Itaque coniecturæ quoddam hoc et interpolationis initium est, sed ita obscurum et a consilio voluntateque seiunctum, ut inter scribendi errores numerari debeat. Dixi de toto hoc genere emendatt. Liv. p. 10 (et aliis locis, quos index ostendit, quædam addidi), quamque late pateret, quam nonnullos nuper editores fefellisset, declaravi. Itaque hoc loco de Latinis breviori mihi esse licet. Adiectivi aut participii substantivo non suo accommodati in Platonis legibus exemplum memorabile post alia emendata restat in libro XII p. 967 A, ubi de astronomis vulgo in impietatis suspicionem vocatis ita scribitur: *οἱ μὲν γὰρ (οἱ πολλοὶ)*

διανοοῦνται τοὺς τὰ τοιαῦτα μεταχειρισαμένους ἀστρονομίᾳ τε καὶ ταῖς μετὰ ταύτης ἀναγκαίαις ἄλλαις τέχναις ἀθέους γίγνεσθαι, καθεωρακότας ὡς οἷόν τε γιγνόμενα ἀνάγκαις πράγματ' ἀλλ' οὐ διανοίαις βουλήσεως ἀγαθῶν πέρι τελουμένων. Prorsus abundat et pravum est *τελουμένων*, quoniam voluntas de bonis perficiendis Græce non dicitur *περὶ ἀγαθῶν τελουμένων.* Contra recte contraria inter se ponuntur *γιγνόμενα ἀνάγκαις πράγματ', ἀλλ' οὐ διανοίαις βουλήσεως ἀγαθῶν πέρι τελούμενα*[1]). (Sed simul aliud mendum tollendum; neque enim vulgus putabat, astronomos vidisse, quantum fieri maxime posset, res necessitatibus regi, quod totum inane est, sed eos falsa opinione sibi persuadere, res necessario fieri: *καθεωρακότας, ὡς οἴονται, γιγνόμενα ἀνάγκαις πράγματα.*) Platoni adiungamus Euripidem, apud quem Hippolytus in tragœdia cognomini v. 1386 vehementissimos, quibus opprimitur, cruciatus nunc *ἀνάλγητον πάθος* appellat, significatione inaudita (*πῶς ἀπαλλάξω βιοτὰν ἐμὰν τοῦδ' ἀναλγήτου πάθους*), sed a poëta sine dubio iussus erat dicere *τοῦδ' ἀνάλγητον πάθους*, huius cruciatus

[1]) I p. 633 B, quod prorsus eiusdem formæ mendum in codicibus est: *καὶ ἐν ἁρπαγαῖς τισὶ διὰ πολλῶν πληγῶν ἑκάστοτε γιγνομένων* pro *γιγνομέναις*, Hermannus post Astium correxit. Etiam II p. 653 D, ubi editur: *ἵν' ἐπανορθῶνται τάς γε τροφὰς, γενομένας ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ τῶν θεῶν*, manifestum esse debet, non egere emendatione *τροφὰς γενομένας ἐν ἑορταῖς μετὰ τῶν θεῶν* (quod frustra Hermannus enarrando obscurare conatur), sed victum vulgari vitæ consuetudine depravatum emendari, cum homines festis diebus cum diis versentur. Itaque necessario scribendum esse *γενόμενοι* ante quadraginta annos annotavi et in Idem incidit Hermannus, sed non tenuit. Mire Stallbaumius in ipso initio libri VI de rep. p. 484 A. tenuit et plumbeo acumine defendit apertissimum huius generis mendum in una vocali positum, *οἱ μὴ διὰ μακροῦ τινὸς διεξελθόντος λόγου* pro *διεξελθόντες*.

dolore liberatam (ita ut liberetur). Negavi olim (Philolog. II p. 136) in Euripidis Ione 751, quod in codicibus et editionibus scribitur: *οὐκ εἰς ἀπίστους δεσπότας βαλεῖς χαράν*, Græce dici *βάλλειν χαρὰν εἴς τινα* (ut sit *χαράν τινι ἐμβάλλειν*); itaque scribendum esse dixi *οὐκ εἰς ἄπιστον δεσπότας βαλεῖς χαράν*, non in fallacem lætitiam coniicies, idque Nauckius primum receperat, postea iniuria deseruit. Substantivum sequenti adiectivo manifesto errore accommodatum est apud eundem poëtam in Bacchis 1387, ubi Agave, furore liberata, et loca furori conscia et feminas eius participes detestatur. Scribitur enim: *Βάκχαις δ' ἄλλαισι μέλοιεν*. Sed neque quid aliis Bacchis cordi esse velit, apparet (nam Cithæron et thyrsus mire coniunguntur), neque quas alias significet Bacchas, quæ omnes perosa sit. Aliis, non sibi Bacchas earumque res cordi esse iubet: *Βάκχαι δ' ἄλλαισι μέλοιεν*[1]). Substantivum pronomini præcedenti accommodatum est apud Strabonem X p. 482, ubi Lycurgus, qui verebatur, ne falso sibi obiicerentur insidiæ fratris filio, cuius esset tutor, paratæ, prorsus absurde timuisse dicitur, ne insidiæ ex ipso puero obiicerentur: *λαβὼν δ' ὑπόνοιαν ἐκεῖνος ὡς ἐκ τοῦ λόγου τούτου διαβάλλοιτο ἐπιβουλὴ ἐξ αὐτοῦ τοῦ παιδός*. Apparet, Strabonem scripsisse: *ἐξ αὑτοῦ* (a sua parte) *τῷ παιδί*. (De dativo *τῷ παιδί* adiuncto substantivo *ἐπιβουλή* nihil opus est dici, et tamen fortasse hæc coniunctio non intellecta aut non animadversa errorem adiuvit.) Apud Plutarchum in libello de fortuna Romanorum c. 11 (p. 323 F), ubi sic editur: *Ἡ δὲ εὕροια τῶν πραγμάτων καὶ τὸ ῥόθιον τῆς εἰς τοσαύτην δύναμιν καὶ αὔξησιν ὁρμῆς οὐ χερσὶν ἀνθρώπων οὐδὲ ὁρμαῖς προσχωροῦσαν ἡγεμονίαν, θείᾳ δὲ πομπῇ καὶ πνεύματι τύχης ἐπιταχυνομένης ἐπι-*

[1]) Hanc emendationem edidi in annalibus Philologiæ Danicis vol. V p. 15 et 157.

δείκνυται τοῖς ὀρθῶς λογιζομένοις, scribendum esse ita: οὐ χερσὶν ἀνθρώπων... προχωροῦσαν ἡγεμονίαν, θείᾳ δὲ πομπῇ καὶ πνεύματι τύχης ἐπιταχυνομένην ἐπιδείκνυται vel reliqua orationis forma et participium ἐπιταχυνομένης mire abundans ostenderet, etiamsi non certissime demonstraret ἐπιταχυνομένης barbare pro ἐπιταχυνούσης positum. (De προχωροῦσαν nihil opus est dici.) In eodem libello c. 9 (p. 322), ubi de pace Augusti tempore turbata hæc ponuntur: αἱ γὰρ ἀπὸ Καντάβρων ταραχαὶ καὶ Γαλατίας συρραγεῖσαι Γερμανοῖς συνετάραξαν τὴν εἰρήνην, quoniam neque Cantabrorum tumultus Germanos attigerunt neque tumultus colliduntur hominibus, sed homines (terra) hominibus (ut Græcia barbariæ lento collisa duello), satis manifestum est scribendum esse: καὶ Γαλατία συρραγεῖσα Γερμανοῖς, sed mendum utrum ex accommodatione an ex geminata errore littera σ (Γαλατίας συρρ.) originem habuerit, non facile dicas. Proprii aliquid erroris habet lapsus scribæ in eiusdem Plutarchi Flaminino c. 8, qui locus sic scribitur in codicibus et editionibus: Τῷ μὲν οὖν δεξιῷ περιῆν ὁ Φίλιππος ἐκ τόπων καταφερῶν ὅλην ἐπερείσας τὴν φάλαγγα τοῖς Ῥωμαίοις, τὸ βάρος τοῦ συνασπισμοῦ καὶ τὴν τραχύτητα τῆς προβολῆς τῶν σαρισσῶν οὐχ ὑπομεινάντων. Nullus color induci potest genetivorum absolutorum huic iuncturæ et huic verborum ordini: τοῖς Ῥωμαίοις τὸ βάρος ... οὐχ ὑπομεινάντων, scribendumque simpliciter est οὐχ ὑπομείνασιν, sed animadvertendum, librarium propter σαρισσῶν genetivum posuisse, genus masculinum tenuisse. Ad articulum non suum præcedentem accommodatum substantivum est apud Diogenem Laërt. VII, 6, ubi de Zenone philosopho hæc ponuntur: Ἀντεποιοῦντο δ' αὐτοῦ καὶ οἱ ἐν Σιδῶνι Κιτιεῖς. Nullos quisquam novit in urbe Sidone Citienses, Cypri incolas omnes, eosque nominavit Diogenes, ab iis Sidonios Zenonis nati gloriam ad se transferre conatos esse narrans: Ἀντεποιοῦντο δ' αὐτοῦ καὶ οἱ ἐν Σιδῶνι Κιτιεῦσιν. Articuli

ad nomen non suum accommodatio alio errore aucta est apud Xenophontem hist. gr. II, 2, 8, qui cum sic scripsisset: *ἐν τῷ Ἀκαδημίᾳ καλουμένῳ γυμνασίῳ*, primum factum est *ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ*, deinde, cum id nullo modo coiret cum *καλουμένῳ*, addito *τῷ* effectum est *ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ τῷ καλουμένῳ γυμνασίῳ*, quod si quid significat, significat locum quendam Academiam, qui (solus) peculiare nomen habuerit gymnasii, non, quod dici debet, illud gymnasium, quod (e pluribus) nomen habuerit Academiæ. Solum genus mutatum est apud Plutarchum in Nicia c. 4: *Τούτοις δ' ὅτι μὲν πολὺ τὸ πρὸς δόξαν καὶ φιλοτιμίαν πανηγυρικὴν καὶ ἀγοραῖον ἔνεστιν, οὐκ ἄδηλον.* Vix recte dicitur aut apte *φιλοτιμία πανηγυρική*, sed ut dicatur, mendum arguit membrorum non solum mira inæqualitas, sed etiam plane vitiosa compositio (*τὸ πρὸς δόξαν καὶ ἀγοραῖον* pro *καὶ τὸ ἀγοραῖον*, quamquan vel sic nimis nude et infinite dicetur *τὸ πρὸς δόξαν*); scripserat enim Plutarchus apte: *τὸ πρὸς δόξαν καὶ φιλοτιμίαν πανηγυρικὸν καὶ ἀγοραῖον.* Verbi modus constructione prave continuata ad proximum præcedens accommodatus est, cum remotiori respondere deberet, apud Strabonem VIII p. 375, ubi sic scribendum est: *Μυρμιδόνας δὲ κληθῆναί φασιν, ... ὅτι μυρμήκων τρόπον ὀρύττοντες τὴν γῆν ἐπιφέροιεν ἐπὶ τὰς πέτρας, ὥστ' ἔχειν γεωργεῖν, ἐν δὲ τοῖς ὀρύγμασιν οἰκοῖεν φειδόμενοι πλίνθων*, non *οἰκεῖν*, ut editur; neque enim hoc consilium erat terræ in rupes congerendæ, sed altera, cur a formicarum similitudine nomen accepissent, causa. Sed traxit scribam proximum *γεωργεῖν*. Apud Diodorum Sic. XVII, 58 (in descriptione pugnæ ad Arbela) de curribus falcatis inepto rei foedæ verbis variandæ studio sic scribitur: *Τοιαύτη γὰρ ἦν ἡ ὀξύτης καὶ βία τῶν κεχαλκευμένων πρὸς ἀπώλειαν ὅπλων ὥστε πολλῶν μὲν βραχίονας σὺν αὐταῖς ταῖς ἀσπίσιν ἀποκόπτεσθαι, οὐκ ὀλίγων δὲ τραχήλους παρασύρεσθαι καὶ τὰς κεφαλὰς πίπτειν ἐπὶ τὴν γῆν βλεπόν-*

των ἔτι τῶν ὀμμάτων καὶ τῆς τοῦ προσώπου διαθέσεως διαφυλαττομένης, ἐνίων δὲ τὰς πλευρὰς ἐπικαιρίοις τομαῖς ἀναρρηττόντων καὶ θανάτους ὀξεῖς ἐπιφερόντων. Apparet capitum in terram cadentium mentioni recte adiungi primos illos genetivos absolutos, quibus significatur, quali habitu ceciderint (*βλεπόντων — διαφυλαττομένης*), sed perversissime cetera (*ἐνίων δὲ κ. τ. λ.*), quæ pertinent ad variorum vulnerum enumerationem continuandam, cum præsertim sic vulnerum effectio transferatur a curribus ad quosdam illos homines (*ἐνίων δὲ — ἀναρρηττόντων*), qui manifesto ipsi ex misere trucidatis sunt. Diodorus superiorem enumerandi formam per infinitivos ab *ὥστε* pendentes reliquerat interpositis genetivis illis, deinde autem recta oratione addiderat: *ἐνίων δὲ τὰς πλευρὰς — ἀνέρρηττον* (currus) *καὶ θανάτους ὀξεῖς ἐπέφερον.* Scriba proximi membri structura et genetivo *ἐνίων* deceptus hic quoque participiorum genetivos effecit addito *των* et detracto augmento[1]). Latina perpauca, ut dixi, Livianis exemplis ex aliis scriptoribus addamus. Cicero igitur de invent. I, 91 sic posuerat: Quodsi non P. Scipio Corneliam filiam Ti. Graccho collocasset atque ex ea duos Gracchus procreasset, tantæ seditiones natæ non essent. Librarius propter duos scripsit Gracchos, et sic editur, quo fit primum, ut P. Scipio ipse duos Gracchos ex filia procreasse dicatur (nam ne minima quidem est significatio subiecti in verbis per atque

[1]) Nunc Dindorfium in postrema editione (1867) video *ἀναρρήττεσθαι* et *ἐπιφέρεσθαι* posuisse, ut simpliciter superior constructio continuetur. Sed et mutatio longe violentior est, nec ab illa forma scriba tam facile aberrasset. Ex eadem accommodationis specie, quam in Strabonis et Diodori locis ostendi, apud Platonem de rep. IX p. 591 D natum est *φαίνηται* propter præcedens *μέλλῃ*. Itaque teneri debuit restitutum ex Iamblicho *φανεῖται*, non damnari verbum.

copulatis mutati; scribendum saltem fuerat atque is), deinde, ut hoc condonetur, inepte Gracchus duos Gracchos procreasse dicitur; nam Gracchus ex legitima uxore nisi Gracchos procreare non potest. Apud eundem in orat. de domo 87 Q. Metelli laus ad sempiternam memoriam temporis calamitate propagata dicitur. Verum laus neque ad memoriam temporis (incerti et infiniti) propagatur neque ad sempiternam memoriam temporis, sed ad omnis aut longi temporis memoriam, scripseratque Cicero ad sempiterni memoriam temporis, librarius adiectivum proximo substantivo adiunxit[1]). Apud Varronem de L. L. VII p. 93 Bipont. scribitur: a quo Accius ait personas distortas oribus deformis miriones. Si personas distortas Accius appellasset, aut omisisset oribus deformes aut coniunctionem interposuisset (et potius distortas oribus et deformes dixisset, quod persona aut absolute deformis aut certo oris habitu deformis apte dicitur, non ore deformis); sed scripserat Varro: personas distortis oribus deformes; præcedens substantivum adiectivum sibi adiunxit. Apud Valerium Max. I, 7 E. 4 pertinax casus imminentis violentiæ lanceam petendæ feræ gratia missam in Atyn Crœsi filium detorsisse dicitur; sed neque casus, qui unius temporis et momenti est, pertinax recte dicitur neque casus violentiæ aut violentia imminens. Scripserat Valerius: pertinax casus imminentis violentia. Hic quidem, ut violentiæ scriberetur accommodate ad imminentis, effecit etiam casus errore pro nominativo acceptum. Seneca de tranquill. animi 16, 2 scripserat acute de magnorum virorum iniquo fato peremptorum desiderio leniter tamen ferendo: Quid ergo est? Vide, quomodo quisque illorum tulerit, et, si fortes fuerunt, ipsorum illos animo desidera, hoc

[1]) Hanc emendationem cum Halmio per litteras communicatam Baiterus et Kayserus in contextu posuerunt.

est, desidera illos forti illo animo, quem ipsi gesserunt (ipsorum animo), æque fortiter. (Consol. ad Polyb. 14, 4: magno fratrem desideravit animo.) Atque hæc quidem non coniectura, sed optimorum codicum omnium (B, G, A, Bongars. apud Fickertum) scriptura est; et tamen editur, quod in deterioribus accommodando ad illos factum est: ipsorum illos animos desidera, nulla sententia; neque enim, quid desiderandum sit, sed quomodo, agitur[1]). Substantivum præcedentibus substantivis non recte accommodatum est, tanquam simpliciter eis copulatum esset, apud Senecam epist. 90, 26, qui scripserat: Non arma nec muros nec bello utilia molitur (sapientia); paci favet et genus humanum ad concordiam vocat. Propter arma et muros scripto etiam bella, et alioquin orationis forma turbata est (— nam suum verbum prior pars necessario habere debet —) et perverse in hac belli et pacis comparatione nudum illud utilia interponitur.

Hæc sunt quinque, ut dixi, summa genera eorum, qui proprie scribendi errores appellari possunt, ex oculis et animo scribæ non satis attente proposita legentis et memoria, dum scribit, servantis pendentes, qui primum quam varie inter se complicentur et coniungantur, vix ut distingui possint, in tam multis ex iis scriptorum exemplis,

---

[1]) Prope incredibile est in eiusdem libelli c. 2, 10 Haasium (Fickertum enim nullo prorsus loco numero) descriptionem mentis incertæ, quam spes inchoatæ habent suspensam, deploratæ tristem, in qua aptissime verba propria inter se referuntur (spes inchoatæ et deploratæ, mens suspensa et tristis), corrupisse codicibus parentem, in quibus deploratæ inter duos accusativos adiectivorum singularis numeri interpositum in eandem formam transiit. Quid voluit esse habere (tenere) mentem deploratam? Spes inchoatas quomodo tristem habere mentem putavit? Rationem captivam sub iugum codicum misit.

quæ posui, iam significatum est, ut hic duo facillima exempla addere satis sit, alterum Græcum Plutarchi ex libello Non posse suav. 3, 4 (p. 1087 E), in quo loco iam supra verba propter eandem vocem bis positam omissa ostendi; nam sequuntur hæc: *οἷς (τοῖς ἄρθροις καὶ νεύροις καὶ ποσὶ καὶ χερσὶν) ἐνοικίζεται πάθη δεινὰ καὶ σχέτλια, ποδαγρικὰ ῥεύματα καὶ φαγεδαινικὰ καὶ διαβρώσεις καὶ ἀποσήψεις.* Longissime a *ῥεύμασιν* abesse gangrænam (*φαγέδαιναν*) omnes norunt, coniunctissimam eandem cum *διαβρώσει* et *ἀποσήψει*. Scripsit igitur Plutarchus: *ποδαγρικὰ ῥεύματα καὶ φαγεδαινικαὶ διαβρώσεις καὶ ἀποσήψεις.* Id duplici errore corruptum est, accommodatione (*ποδαγρικὰ ῥεύματα καὶ φαγεδαινικά*) et geminatione (*φαγεδαινικὰ καί*). Latinum alterum exemplum sumetur e Gellii libro XIII, 8, 2, ubi eum, qui sapiens esse rerum humanarum velit, oportere docet sapere atque consulere ex his, quæ pericula ipsa rerum docuerint, non quæ libri tantum aut magistri per quasdam inanitates verborum et imaginum tanquam in mimo aut in somnio delectaverint. Et totum delectandi verbum hinc alienum esse et prorsus barbare cum accusativo rei dici (consulere ex his, quæ magistri delectaverint), tam manifestum est, ut demonstrari pluribus nihil attineat. Gellius verbum ad vanas species aptissimum posuerat obiectaverint; eius prima littera, quod eadem præcedebat, hausta est semel scribendo; simul i supra versum producto natum est blectaverint; hinc factum corrigendo illud delectaverint. Interdum duo plurave menda non in idem vocabulum, sed in proxime coniuncta incurrentia gravius orationem et sententiam turbant. Velut in Plutarchi quæstt. conviv. II, 7, 2, 1 (p. 641 D) hæc in codicibus scribuntur: *Σκοπῶμεν δὲ, εἶπον, ὅτι πολλὰ συμπτώματα ἔχοντα σιν αἰτιῶν λαμβάνει δόξαν οὐκ ὀρθῶς.* Satis apparet, hoc dici, causarum speciem et dignitatem accipere ea, quæ reapse alium locum teneant.

Scriptum fuerat *συμπτωμάτων ἔχοντα τάξιν αἰτιῶν λαμβάνει δόξαν*, verbis accurate inter se respondentibus. Ex *ἔχοντα τάξιν*, semel scripto *τα*, factum est *ἔχοντα σιν*. simul *συμπτωμάτων* accommodatum est ad *πολλά*, eo quidem facilius, si alter error prius acciderat. Apud Ciceronem pro Murena 73 sic in codicibus scriptum est, nulla sententia: Hæc omnia sectatorum, spectaculorum, prandiorum item crimina a multitudine in tuam nimiam diligentiam, Servi, coniecta sunt; in quibus tamen Murena senatus auctoritate defenditur. Ipsius Servii Sulpicii nimiam diligentiam in minutis et nullius momenti criminibus colligendis significari, Halmius intellexit scripsitque recte: nimia diligentia, Servi, conlecta sunt; sed prave et violenter (illo genere damnandi, de quo paulo post dicam) delevit verba a multitudine in, relicto tua, nec rectam sententiam effecit; displicuisse enim populo et Servio nocuisse nimiam hanc diligentiam Cicero dixit; scripsit autem: Hæc . . . crimina multitudine inuita nimia diligentia, Servi, conlecta sunt. Itaque in his verbis hæc acciderunt: a geminatum est (crimina a mult.), distractum inuita et ex uita factum tua; ex conlecta, l breviore scripto, natum coniecta; tum, ut videtur, propter coniecta in additum m (in tuam nimiam diligentiam), etsi hoc proprio quoque errore nasci potuit. Deinde illud quoque in superioribus exemplis permultis apparuit, ipsi primo errori accessisse aliquem corrigendi conatum, rudem plerumque et simplicem, qui si non accessisset, pro verbis litteræ dissolutæ restarent. Ea iam interpolatio est.

Sed antequam ad eam, quæ vere interpolatio appellari debet, venimus, attingendum est, quod sextum et postremum supra posuimus scribendi errorum genus, non ex oculorum et memoriæ in singulis litteris et syllabis fallacia nascens, sed ex iudicio, a mutandi tamen voluntate, hoc est, ab interpolatione seiunctum. Id accidit, cum scriba, quæ in

proposito exemplo in margine aut inter lineas declarandi aliquid causa annotata sunt, errore ipsi scriptoris orationi interponit, quod eius partem esse putat. Ab hoc diversum est, cum aliquid scriba aut corrector codicis, quod deesse orationi credit, ipse eo consilio addit, ut inter verba scriptoris legatur, hoc est, orationem sciens mutat et interpolat. Philologi autem plerique primum interpolationis nomine fere de solis iis utuntur, quæ veris scriptoris verbis aliena adduntur; deinde duplex addendi genus, alterum in errore, alterum in consilio positum, non separant, quod si facerent, se ipsi admonerent, ut paulo cautius et subtilius de additamentis notandis et tollendis iudicarent; quamquam non omnibus locis discerni potest, utrius originis additamentum sit.

Primum igitur sæpe aut in margine eius exempli, quod ad describendum propositum erat, aut inter lineas reperiebantur interpretamenta ad verbum unum alterumve scriptoris declarandum aut ad rem personamve significandam adscripta, interdum ne grammatica quidem forma ad continuam orationem accommodata (ut Saguntini Liv. XXI, 19, 9, quod ut orationi includeretur, debebat esse Saguntinos, Siculi Cic. Act. I in Verr. 53; emendatt. Livv. p. 212); ea interpretamenta scriba imprudens ipsi orationi inserebat. Huiusmodi est apud Platonem r. p. II p. 364 E in his verbis: *ὡς ἄρα λύσεις καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων διὰ θυσιῶν καὶ παιδιᾶς ἡδονῶν εἰσί*, vocabulum *ἡδονῶν* adscriptum ad *παιδιᾶς* nomen, quo ipso festorum dierum hilaritas ludicra significatur; nam neque *παιδιὰ ἡδονῶν* neque *ἡδοναὶ παιδιᾶς* rectum est, ne quid de æqualitate membrorum dicam[1]). Apud Plutarchum in Theseo c. 34 (*Ἀλέξανδρον μὲν τὸν ἐν Θεσσαλίᾳ Πάριν ὑπ' Ἀχιλλέως καὶ Πατρόκλου μάχῃ κρατηθῆναι*) ad Alexandri nomen

[1]) Prorsus eiusdem generis est *τὸν τάρταρον* adscriptum ad *εἰς ὅ,τι* X p. 616 A, recte ab Hermanno notatum.

cum adscriptum esset τὸν Πάριν, id sic orationi insertum, ut articulus a nomine divelleretur, plane eam vitiosam effecit (Ἀλέξανδρον τὸν ἐν Θεσσαλίᾳ Πάριν); itaque Coraes, Schæfer, Sintenis transponendo subvenire conantur, quasi non omni loco æque inaniter lectores admoneantur Ἀλέξανδρον esse τὸν Πάριν. In eiusdem Lycurgo c. 2 cum in his γενομένων δὲ τῶν ὁρκίων declarandi causa supra scriptum esset ὁμολογιῶν idque in ordinem sic receptum: τῶν ὁρκίων ὁμολογιῶν, editores καὶ ὁμολογιῶν scripserunt, quomodo sæpe hoc mendi genus occultatur. (Emendatt. Liv. p. 14 et 16[1]). Apud Pausaniam IX, 21, 6 ad αἱ ἀσπίδες admonitionis causa, ne quis scuta intellegeret, adscriptum erat ab aliquo τὰ θηρία, deinde errore effectum est in ipso textu τὰ θηρία αἱ ἀσπίδες, mira coniunctione, miro etiam ordine. Apud Senecam epist. 85, 10 (Numquid dubium est, quin vitia mentis humanæ inveterata et dura, quæ morbos vocamus, immoderata sint, ut avaritia, ut crudelitas, ut impotentia, impietas) extremum vocabulum ad impotentiæ nomen, quod, ubi de impotenti iracundia dicitur, sæpissime librariis offensioni fuit, declarandum, inepte sane, adscriptum esse, ostendit non solum omissa in hoc membro vitiose particula ut, sed certius, quod impietas nunquam inter affectus et perturbationes animi (τὰ πάθη) a Stoicis numeratur. Apud Gellium XIII, 20 (19), 12 declarandi causa, quis filius significaretur M. Catonis M. F. M. N. (consulis a. 118), adscriptum est cum gravissimo errore maiorem Catonem, e quibus verbis nullo artificio quicquam extorqueri recti potest. Iustinus V, 1, 1 scripserat: Alcibiades absens Athenis insimulatur Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio sollemnia, enuntiavisse. Additum est in margine mysteria, quo in orationem inserto vitiose Latina Græcaque ap-

[1]) De Alexand. c. 74, Othon. c. 5 dicam suo loco.

pellatio miscetur et mysteria sacra satis abundanter dicuntur; itaque recte complures iam id vocabulum damnarunt, modo ne Cereris nomen damnatione comprehendissent; XXVIII, 3, 11 neminem animadvertisse video in vulgus adscriptum ad declarandum, quod præcedit, in publicum, loco paulo inferiore in orationem receptum esse; itaque alia tentantur. In poëtarum versus noti et certi generis non facile aditus erat eiusmodi additamentis (nisi maiore accedente mutatione); in anapæstis tamen ex Euripidis Cretensibus apud Porphyrium servatis (fr. 475 a Dind.) ad *φοινικογενοῦς τέκνον* adscriptum *παῖ τῆς Τυρίας* versibus accommodari potuit. Sed quanquam minime rarus hic est interpretamentorum inserendorum error, tamen parum caute in hoc genere probabilitatem æstimant et ü, qui, quicquid apud veteres ulla ex parte abundat aut tolli sine incommodo potest, eiiciunt et in eo genere corrigendi sibi nimis placent, in quam reprehensionem nostra ætate et Bakius et alii Batavi et Germani quidam incurrunt, et ii, qui criticæ desperationis hoc perfugium habent, ut, quæ neque enarrare probabiliter neque corrigere potuerunt, interpretando et interpolando addita dicant; nam interdum etiam homines alioquin prudentes sic se molestis verbis liberare student, ut oblivisci videantur, scribas simplices quidem illos homines fuisse, sed tamen sanæ mentis. Velut quod Kruegerus ad Thucydidis lib. VIII, 46, quem locum supra emendavi, primum adscripsit (— nam postea ad verum prope accessit —), *τὰ δεινὰ* interpretandi causa adiectum esse posse (könnte Glossem sein), quorum, quæso, verborum illa interpretatio est et qualis? et quæ, illa sublata, relinquitur constructio (*εὐτελέστερα κατατρῖψαι*). Sed prorsus eodem modo in Iustini loco, quem paulo post emendabo, VII, 6, 7 et 8 verba capit hinc Thessaliam uncis amoliri Ieepius conatus est. Nihil igitur additamentum habendum est (neque huiusmodi, de quo nunc agimus, neque eiusmodi, quod vere interpolando statim ipsi orationi interponitur),

nisi quod et ipsum iustam habeat in sententia aut oratione offensionem et cuius addendi causa probabilis et a scribarum simplicitate non abhorrens ostendi possit et quod consilio addentium aliquo modo respondere intellegatur. Atque idem iudicandum est de maioribus illis totarum sententiarum et periodorum aut longiorum etiam locorum additamentis, quæ ex annotationibus margini adscriptis orta interdum sunt, interdum iniuria finguntur. Nam et in codicibus quibusdam antiquis, Latinis tamen magis quam Græcis, scriptorum historicorum in margine breviter argumenta et progressus narrationis annotabantur eæque annotationes postea a scribis errore contextæ orationi insertæ sunt, de quo genere in emendd. Liv. p. 21 sqq. (cfr. addend. ad p. 528) dixi (— nam in Livii codicibus aliquot is error frequens est —), et in aliorum codicum marginibus interdum scholia ad sententias breviter comprehendendas et explicandas et ad res declarandas adscripta postea in contextum recepta sunt, cuius rei ex Ciceronis orationibus olim duo exempla memorabilia in opusc. acad. I p. 148 posui, alia in libris de finibus II, 108 et (post alios) V, 21 notavi, in libro autem I de off. 36 primus scholion historicum deprehendi, simile eius, quod III, 114 Heusinger deprehenderat. Sed quidam, cum inciderunt in locos aut sententia et cum reliquis nexu obscuros (fortasse aliqua ipsius scriptoris culpa, ut in Ciceronis de philosophia libris facile credi potest) aut etiam alio mendo laborantes (velut transpositione), facili se remedio expediunt annotationem marginalem in orationem illatam incusantes, neque quærunt, quibus librariis et quo tempore in mentem venire potuerit huiusmodi annotationes de rebus sententiisque a scriptore non significatis addere aut unde materiam sumpserint aut quo eos probabile sit, si tale quid conati essent, orationis genere et quibus verbis usuros fuisse. Verum quoniam nobis toto hoc capite nostrarum sententiarum explicatio proposita est, non alienorum errorum refutatio, et quoniam refutari ii singulatim sine longiore

plurium locorum pertractatione non possunt, satis erit hic totum genus notasse, pluraque desiderantes ad ea ablegare, quæ in commentariis ad Ciceronis libros de fin. ad V, 86 p. 759 contra Davisium dixi (— quis enim Theophrasti mentionem fecisset, si a Cicerone ipso omissa esset?), ad III, 35 p. 403 et ad V, 9 p. 617 contra Bakium (— quanquam altero loco non marginalis annotatio videtur fingi, sed librarius in ipsam orationem ad Ciceronem scilicet excusandum hæc verba ut poetice loquar infersisse putandus est —), ad III, 22 p. 381, ad III, 58 p. 443, ad IV, 62 p. 575 contra Iacobum, aut in emendatt. Liv. p. 398 et p. 469 in notis contra Weissenbornium. Nam hoc quoque aut deficientis criticæ perfugium aut levitatis campus est.

A scribendi erroribus ad interpolationem venimus, quo nomine, ut dixi, omnem mutationem a librario volente et prudente factam comprehendo. Eius prima forma, tam rudis, vix ut ab ipso scribendi errore seiungatur, deprehenditur in litteris exempli propositi, quas ipsas scriba recte videbat, sed quid significarent, non intellegebat aut non attendebat, male interpretandis et mutandis. Ad hoc genus pertinent litteræ pro suis ipsæ nominibus positæ aut pro numeris, sed pro partibus vocabulorum acceptæ (aut contra pro numeris, quæ vocabula erant, ut in Ciceronis epp. ad fam. XV, 4, 9), compendia vocum non intellecta, sed alio detorta, vetusque omnino scribendi usus, quæ orthographia appellatur, prave redditus. Quæ quoniam multa et varia in utraque lingua sunt, quæ explicari hoc loco non possunt, paucis defungamur exemplis. Apud Græcos *ει* scriptum in secunda persona passivæ verborum formæ, ubi posteriore ætate *η* scribebatur, cum alibi errores genuit, tum apud Euripidem in Electra 238, ubi Electræ, quid nuntians et quærens is, cuius sub persona Orestes latet, adsit, interroganti sic is respondet: *εἰ ζῇς ὅπου τε ζῶσα συμφορᾶς ἔχεις*. Nihil omnino est *ἔχειν που συμφορᾶς* (Græcum esset *ὅπως συμφ. ἔχεις*), rectum et verum: *ὅπου συμφο-*

ρᾶς ἔχει, hoc est ἔχῃ, quo (malæ) fortunæ loco tenearis constitutaque sis (ἐν τῷ συμφορᾶς, ut Sophocles dixit Antig. 1229)[1]). A nullo commemoratum memini, iota in dativo primæ declinationis antiquo more vocali adscriptum, cui postea subscribebatur, persæpe pro σ acceptum genetivum pro dativo effecisse, velut apud Thucydidem II, 51 ubi scribendum est: ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείᾳ ἀναπιμπλάμενοι (alter ab altero, dum curant et fovent, implebantur et contingebantur; vulgo θεραπείας, quod Dobreus tolli volebat, Kruegerus ab ἀπό pendere, divellens ἕτερος ἀφ' ἑτέρου), et apud Platonem sophist. p. 224 A (καὶ πολλὰ ἕτερα τῇ ψυχῇ τὰ μὲν παραμυθίας, τὰ δὲ καὶ σπουδῆς χάριν ἀχθέντα καὶ πωλούμενα pro τῆς ψυχῆς)[2]). Quid crasis rariore scribendi forma significata nocuerit Platoni in Phædro p. 253 A, r. p. X p. 606 C, suo loco dicetur.

Apud Latinos quoties ex st (est) factum sit aut sit aut sunt, dixi opusc. acad. I p. 184, II p. 222, ad Cic. de

---

[1]) Idem mendum in Sophoclis Œd. Col. 989 ex alia etiam causa suo loco tollam.

[2]) Eadem correctio (ut copia quadam exemplorum res confirmetur) adhibenda Plutarcho in Æmil. Paul. 33 (τῇ ἀναισθησίᾳ pro τῆς ἀναισθησίας; non mutatione non sentiendi miserabiles erant Persei liberi, sed ad fortunæ mutationem miserabiles eo ipso, quod eam propter ætatem puerilem nondum sentiebant) et Alexand. c. 58 (τὴν πλείστην φθορὰν ἀπορίαι τῶν ἀναγκαίων καὶ δυσκρασίαι τοῦ περιέχοντος ἀπειργάσαντο τῇ στρατιᾷ pro τῆς στρατιᾶς), de fort. Rom. 7 (ἐπὶ μαντείᾳ σεμνυνόμενον, non ἐπὶ μαντείας, quod etiam geminatione litteræ σ ortum esse potest), de Iside et Osir. 15 (ἔρεισμα τῇ στέγῃ ὑπέστησεν, non τῆς στέγης), de cupid. divit. 7 extr. ἐπαγαγὼν τῇ ψυχῇ τὰς φροντίδας, non τῆς ψυχῆς), Straboni V p. 240 (καὶ ταῖς ὑπωρείαις τῇ τε ἐκτὸς μέχρι τῆς παραλίας τῆς Ἀδριατικῆς καὶ τῇ ἐντός, non bis τῆς), Luciano navig. 27 (ἐς τέλος μου τῇ εὐχῇ ἐπηρεάζων, non τῆς εὐχῆς), Pausaniæ II, 20, 4 (ἐκράτει τῇ μάχῃ, non τῆς μάχης).

fin. III, 58 p. 444, emendatt. Liv. p. 585; et tamen supersunt non ita pauci loci hoc mendo inquinati, velut Gellii IV, 9, 13 (invidiosast) et Columellæ II, 20, 3 (demessast) et Senecæ cum alii (de brevit. vit. 18, 1 data st, de benef. IV, 3, 3 causast, epist. 92, 11 impeditura st) et hic ad Marciam 14, 1: quota enim quæque domus usque ad exitum omnibus partibus suis constitit, in qua non aliquid turbatum sit? Nam ridicule interrogatur, quota quæque constiterit, in qua non turbatum sit, id est, quæ non constiterit. Recte bis interrogatur: ... constitit? in qua ... turbatum st? De erroribus ex **quoi** pro cui scripto ortis dixi emendatt. Liv. p. 286; ob eam causam apud Senecam de vit. beat. 23, 2 scriptum est: nihil .. quo manus iniiciat pro cui; (nam manum aliquo iniicere pro eo, quod est alicui, non dicitur); apud eundem de otio 3, 4 editur: sic ad iter, quod inhabile sciet, non accedet; debet esse: cui (quoi) inhabilem se sciet; eiusdem libri 5, 1 pro quid porro? hoc non erit probatum ...? scribendum est: cui (quoi) porro hoc non erit probatum ...?[1]) Etiam Ovidius metam. VIII, 640 scripserat: Membra senex posito iussit relevare sedili, Cui (non Quo) superiniecit textum rude sedula Baucis. Sed residet hoc mendum multo notiore loco; neque enim Horatium a. p. 350 scripsisse, quod omnes toties legimus: nec semper feriet, quodcunque minabitur arcus (in quo durissime ita auditur infinitivus, ut adiiciatur etiam se: quodcunque se percussurum esse minabitur; nam minari aliquid longe aliud est), hoc, inquam, eum non scripsisse ostendunt codices, in quibus est, fide quidem dignis omnibus, quocunque, hoc est, quoicunque.

---

[1]) De brev. vit. 10, 3 recte Gruterus: Nemo nisi cui (quoi) omnia acta sunt sub censura sua. Codd. quo, edd. a quo.

Et quoniam apud Latinos frequentior quam apud Græcos compendiorum scribendi usus est, huius quoque generis errorem ponamus pervagatæ originis. Nam apud Senecam epist. 14, 14 editur: Sed postea videbimus, an sapienti opera perdenda sit; interim ad hos te voco cet. Id quidem Senecæ in mentem non veniebat quærere, perdendane esset sapienti opera, (sine ulla enim dubitatione negabat); quid quærere differret, paulo ante ipse dixit (13): Potest aliquis disputare, an illo tempore capessenda fuerit sapienti respublica. Codices omnium optimi (Pp) habent: an sapientiora perdenda sit; scripserat Seneca: an sapienti opera r. p. danda sit; ex r. p. danda ortum perdenda; et r. p. hic subesse, iam Pincianus senserat. Sed vel in hoc exemplo apparet, quam vicina hæc prima interpolationis initia sint scribendi errori; quis enim neget fieri posse, ut non consilio r. p. in per mutatum sit, sed ipso oculi errore cum illo confusum? sed accedit danda, cum semel erratum esset, in denda mutatum. Cum his mendis ex ignoratione aut oblivione veteris orthographiæ ortis coniuncta est infinita illa neglegentia in lineola litteram m extremam significanti addenda detrahendave (quod nihil fere valere videbatur scribis), quam in emendd. Liv. p. 8 sqq., p. 256 sqq. sic declaravi et notavi, ut nonnullos saltem ad abiiciendam in hoc genere mendi superstitionem adduxerim. Sed tamen, præterquam quod multa expellenda sunt, quæ his triginta annis critici scilicet cauti et grammatici subtiles bonis codicibus male utendo in veterum orationem intulerunt vitia[1]), non ita pauca supersunt bona fide ab omnibus servata, ut apud

[1]) In Iustino Ieepius hunc librariorum errorem ipse commemoravit ad XII, 10, 1, et tamen his gemmulis scriptorem in huiusmodi saltem rebus recte loquentem exornavit: VI, 4, 8 potiti victoriam, IX, 7, 12 ultionem potita est, XII, 10, 4 reversus in nave (de eo, qui navem iterum conscendit), XXV, 5, 1 Antigonum in urbem clausum.

Ciceronem pro Sulla 80 (grave est hoc dictum pro dictu; neque enim agitur de dicto aliquo), apud Senecam epist. 95, 61 (quædam admonitionem in philosophia desiderant, quædam probationem et quidem multa, quia involuta sunt vixque summa diligentia ... aperiuntur; apparet, causam afferri, cur desiderent probationem et quidem multam), apud Plinium Mai. h. n. XXXIII, 100 (Et alias argentum vivum non largum inventum est pro inventu; neque enim Plinius perfecto tempore, quid aliquando factum sit, narrat, sed rei naturam indicat)[2]).

Altera est et longe uberrima interpolandi materia, cum commissum scribendi errorem idem aut alius postea scriba emendare conatur, plerumque infeliciter, mendum tantum simul augens et occultans. Atque hoc totum quale sit, iam ex permultis eorum exemplorum, quibus ipsos scribendi errores declaravimus, intellegi potest, quoniam iam in iis aliquid accesserat commenti, interdum audacis (ut quod apud Plutarchum adv. Colot. 28, 5 ex καὶ δέους ὡς primum errore καὶ δὲ οὕτως, deinde autem, si dis placet, emendando factum erat καὶ οὐδὲ οὕτως); sed tamen unum et alterum exemplum huius interpolationis proprie declarandæ causa ponamus, rudis illius dico, cui fere satis est singulis verbis Græcam Latinamve formam inducere, interdum usque ad risum simplicis, cuius rei libenter specimen soleo ponere illud, quod apud Livium XXII, 16, 4 in egregio codice Puteaneo exstat, fortunæ minas saxa, ex Formi-

---

[1]) Editorum culpa, non animadversa recentiorum librariorum scribendi ratione, apud Senecam epist. 78, 27 scribitur: Rursus si mors accedit et vocat, licet immatura sit, licet mediam præcidat ætatem, perceptus longissime fructus est; nam neque longe fructus percipitur neque de ea re agitur; Seneca longissimæ scripsit, hoc est, idem fructus, qui ex longissima ætate percipi potest.

ana saxa natum, aut quod in Ciceronis oratione pro Sestio 62, 130 pro ad Numidici illius cum in codice Parisino scriptum esset ad unum dicitius, manus secunda in eodem effecit ad unum dicto citius. Palmam enim simplicitatis Latini scribæ tenent, rudiores quam Græci, ut dixi supra. Quanquam quid potest esse ad simplicitatem admirabilius eo, quod in Plutarchi libello de facie in orbe lunæ c. 15, 7 (p. 928) effectum est? Nam cum sic Plutarchus de luna in æthere nanti et æthera infra se habenti scripsisset: *Ἀλλ' ὅμως ὁρᾶν πάρεστιν οὐκ ἀποκεκριμένην τοῦ αἰθέρος τὴν σελήνην, ἀλλ' ἔτι πολλῷ τῷ περὶ αὐτὴν ἐμφερομένην, πολὺν δὲ ὑφ' ἑαυτὴν ἔχουσαν, ἐν ᾧ δινεῖσθαι καὶ κομήτας*, primum ex *πολύν* accommodatione ad *ἐμφερομένην* factum est *πολλήν*, deinde geminatis extremis litteris participii *ἔχουσαν* natum est *ανενω*, tum ex hoc effectus genetivus substantivi Græci *ἀνέμων*, qui editur cum nota lacunæ. Sed exempla Græca cetera (ne delectu vagemur) ex uno sumamus Strabonis opere[1]). Is primum libro I p. 55 duplicem maris circa fretum Siculum commemorat æstum, *ταῖς μεσουρανήσεσι τῆς σελήνης ἀμφοτέραις συναρχόμενον, .. ταῖς δὲ συνάψεσι ταῖς πρὸς τὰς ἀνατολὰς καὶ δύσεις παυόμενον.* Sic enim scripserat, æstum incipere una cum lunæ in medio cœlo commoratione; semel scripto σ (*ἀμφοτέραισυναρχόμενον*), cum verbum depravatum esset, corrigendo non consona retracta est, sed vocalis mutata (*ἐναρχ.*); sed nusquam *ἐνάρχεσθαι* dicitur cum dativo de initio in aliquod tempus incidente. In libro II p. 121 postquam exposuit alias aliorum locorum et regionum esse virtutes et vitia, partim naturalia, partim adventicia et hominum opera nata (*ἐκ κατασκευῆς*), ex his primum naturalia geographo com-

[1]) Poteram illustriora ponere exempla ex principum scriptorum codicibus perantiquis, velut Platonis r. p. VIII p. 544 C, polit. p. 294 A, Aristophanis, quo nihil est memorabilius, pac. 800 sed utendum hic fuit iis, quæ breviter declarari possent; illa suis locis ponentur.

memoranda esse dicit, deinde etiam ex adventiciis (*ταῖς ἐπιθέτοις*) ea, quæ diu manere possint, declaranda (*καὶ τούτων δὲ τὰς πλείω χρόνον συμιμένειν δυναμένας ἐμφανιστέον*), tum addit hæc in codicibus sic scripta: *μὴ πολὺ μὲν ἄλλως δὲ ἐπιφάνειαν* [*μέν* recte delerunt Coraes et Meinekius] *ἐχούσας τινὰ καὶ δόξαν, ἢ πρὸς τὸν ὕστερον χρόνον παραμένουσα τρόπόν τινὰ συμφυῆ τοῖς τόποις ποιεῖ καὶ μηκέτι οὖσαν κατασκευήν*, quorum prima quia sensu cassa sunt, alii frustra corrigere conati sunt, Meinekius lacunæ notam ante *μή* posuit. Et tamen certissimum est ex re et ex superioribus et ex adiectis, quid Strabo scripserit: *ἢ ἀπολλυμένας μὲν, ἄλλως δὲ κ. τ. λ.* Præter ea quæ diu manere possint, etiam ea commemoranda dicit, quæ intercidant illa quidem, sed aliquam fama claritatem habeant. Propter eandem syllabam (*μεν*) brevi intervallo positam haustæ sunt litteræ *μενας*, ut superesset: *ἢ ἀπολλυμεν ἄλλως*. Hinc illa nata *μὴ πολὺ μὲν ἄλλως*, Græca scilicet omnia. Sed et occultum magis primum inspicienti et mirum, quod accidit libro VIII p. 357, ubi sic scribitur: *Παρὰ δὲ τὴν Ὀλυμπίαν ἐστὶ καὶ ἡ Ἄρπινα καὶ αὕτη τῶν ὀκτώ, δι' ἧς ῥεῖ ποταμὸς Παρθενίας ὡς εἰς Φηραίαν ἰόντων* (ea regione veniens, quasi Pheræam eas). Herææ urbis nomen exspectari unumque aptum esse, Tzschuckius intellexit, Pheræam nusquam nominari; et est ipsa forma nominis suspecta; nam *Φηραί* (*Φαραί*) oppida sunt. Iam qui attenderit, p. 360 in simili regionis significatione dici non *εἰς*, sed aptius *ὡς ἐπὶ τὴν Ἀνδανίαν ἰόντων* (ad Andaniam versus), leviter admonitus intelleget, Strabonem hic quoque scripsisse *ὡς ἐφ' Ἡραίαν ἰόντων*, coaluisse, omisso *ε*, *Φηραίαν*, perstantemque in errore librarium iterum scripsisse: *ἡ δὲ Φηραία ἐστὶ τῆς Ἀρκαδίας*, cumque desideraretur præpositio, additum esse *εἰς*[1]). Lati-

[1]) Quod apud Polybium (IV, 77) Philippus Macedonum rex *ἐξ Ὀλυμπίας ἀναζεύξας τὴν ἐπὶ Φαραίαν* primum Telphussam (quæ lon-

num interpolationis scribendi errori supervenientis primum præbeat exemplum Lucilii apud Nonium p. 382 versus, qui cum huiusmodi esset: quæ quondam populi risu res pectora rumpit, male diremptis litteris factum est ris ures, tum vocum Latinarum formam explendo: quæ populi oris aures pectora rumpit. Alterum sit, quod apud Valerium Max. IX, 12, E. 8, sic editur: (Anacreontem poëtam,) dum passæ uvæ succo tenues et exiles virium reliquias fovet, unius grani pertinacior in aridis faucibus umor absumpsit. Neque in granis humor est neque humor quomodo pertinacior et in aridis faucibus pertinacior dici possit, intellegitur, neque quemadmodum humor, id est succus, qui ipse expetebatur, hominem absumpserit; absumpsisse poëtam ipsum granum (acinus) in aridis faucibus hærens et eas, dum emoveri nequit, irritans putabatur (Plin. h. n. VII, 44). Scripserat nimirum Valerius: unius grani pertinacior in aridis faucibus **mora** absumpsit. Semel scripto **a** (morabsumpsit), ad supplendas litteras mor præpositum est **u**. Apud Senecam Rhet. p. 188 (169) Cestius pro patre contra filium qui luxuriari desisse videri vellet, declamans emendatum esse (filium) non concessit, et assidue dixit, nihil magis sequi intervallum hoc luxuria; etiam vere intermissa vitia vehementius surgere. Posui verba, qualia Bursianus edidit; in illis nihil magis . . . luxuria nulla omnino est sententiæ species; postrema recta essent si omitteretur vere; nam in intermittendis vitiis veritas

---

gius ad septentrionem est), deinde Heræam venisse dicitur, valde suspicor, non oppidum significari (quod si esset, genetivum ponendum fuisse Schweighæuserus sensit, nec tamen intellegeretur, cur ad oppidum ab iis diversum, quæ reapse peteret, iter direxisse diceretur), sed adiectivum latere compositum, *τὴν ὑπώρειον* aut simile.

nulla est. Codices pro etiam vere habent etiamerei, Antverpiensis etiamere. Videamus nunc erroris gradus; sunt enim manifestissimi. Scripserat Seneca: nihil magis se quam intervallum hoc luxuriæ timere; intermissa vitia vehementius surgere. Cum conflata essent se et quam, fortasse compendio particulæ quam obscuro, factum est sequi; deinde, cum extrema vocalis vocabuli luxuriae adhæsisset sequenti infinitivo (luxuria etimere), factum est etiam, relictis tamen inanibus litteris ere et, geminato i (ex intermissa), erei, e quibus postea demum recentior aliquis scriba aut editor antiquus illud vere composuit. Agmen hoc Iustini claudat locus in VII, 6, 7 et 8 de Philippo Macedone, quem sic scriptum Ieepius edidit: Post hos bello in Illyrios translato multa milia cædit: urbem nobilissimam Larissam [capit. Hinc Thessaliam] non prædæ cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem improvisus expugnat. Et sane cohærent hæc: urbem nob. Larissam ... expugnat; sed quam violenter improbabiliterque deleantur tria verba, quæ addere nemini in mentem venire potuerit, apparet. Pro hinc alii codices hic in aut hic habent. Scripserat Justinus: Larissam (caput hoc Thessaliæ) ... expugnat. Cum librarius aut solo casu aut quod post accusativos urb. nob. Larissam verbum exspectabat, caput in capit mutasset, successit, qui ex Thessaliæ obiectum verbi expugnat efficeret; restabat hoc, ex quo hinc et alia facta.

Sed eadem voluntas, quæ vere depravata corrigere infeliciter conabatur, necessario etiam ea attingebat, quæ, cum essent vera et recta, hominibus, non satis peritis, quod non intellegebantur graviterque eos aut insolentia constructionis aut verbi novitate offendebant, corrupta videbantur, præsertim si ex propinquo species aliqua probabilior occurre-

bat. Simplicissimum huiusmodi interpolationis exemplum est, quod in Platonis symposio p. 175 A, ubi servus Agathonis dicitur nuntiasse Socratem *ἔν του τῶν γειτόνων προθύρῳ* stare (sic enim Plato scripsit), substitutum est *ἐν τῷ τῶν γειτόνων προθύρῳ*. Neque certum aliquod vestibulum (*τὸ πρόθ.*) significatur neque plurium vicinorum unum fuit (*τὸ τῶν γ.*), sed in unius vicinorum vestibulo Socrates stabat[1]). Librario post *ἐν* vix cogitanti dativus sub acumen stili venit. Paulo iam est audacius, quod apud Xenophontem Hellen. I, 2, 10 accidit. Nam cum is sic scripsisset: *Τοῖς δὲ Συρακοσίοις καὶ Σελινουσίοις κρατίστοις γενομένοις* (*οἱ Ἐφέσιοι*) *ἀριστεῖα* [*ἔδωκαν*] *καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πολλοῖς καὶ οἰκεῖν ἀτελεῖ ἔδοσαν τῷ βουλομένῳ ἀεί* (ut, qui vellet, tributo immunis Ephesi habitaret), quod *ἔδοσαν* substantivi accusativum requirere videbatur, scriptum est *ἀτέλειαν*, turbata prorsus et structura, in qua nunc locus verbo *οἰκεῖν* non est (neque enim Græcum est *ἀτέλειαν οἰκεῖν δίδωμί τινι* pro *ἐξουσίαν*) et sententia; neque enim nudum habitandi ius pro beneficio dabatur. (De *ἔδωκαν* delendo dicam paulo post.) Licentius tamen fecit, qui apud Platonem r. p. II p. 373 A rariori et ignoto sibi vocabulo notum satis, sed a re prorsus alienum substituit. Nam in hac enumeratione rerum ad victum tantum pertinentium: *καὶ ὄψα δὴ καὶ μύρα καὶ θυμιάματα καὶ ἑταῖραι καὶ πέμματα* nihil loci esse *ἑταίραις* consentiunt Nitschius, Stallbaumius, alii; sed neque pervagatum vocabulum *ἕτερα* subest, quod frustra Stallbaumius commendat (nam neque, quod in *ἄλλος* fit, transferri ad *ἕτερος* potest neque Græcus homo dicturus erat

---

[1]) In Euripidis Ione v. 551 pro *Προξένων δ' ἐν τῷ κατέσχες* scribendum esse *ἔν του*, dixi Philolog. vol. II p. 136, et sic nunc editur; sed emendatio L. Dindorfio adscribitur, qui ubi eam fecerit, nescio.

θυμιάματα καὶ ἄλλα πέμματα), neque quod Nitschius voluit, sed nomen rei cum πέμμασι coniunctæ et tale, quod similitudine aliqua litterarum ἑταίρας illas obiiceret, ἐσχαρῖται, hoc est, panes delicati. Atque his exemplis Græcis paria respondent Latina. Velut apud Senecam epist. 88, 25 legitur nunc: Multa adiuvant nos nec ideo partes nostræ sunt; Seneca scripserat nostri; neque enim aliter dicitur Latine de partibus, ex quibus constamus; nostræ sunt partes, quas aliarum rerum, velut prædæ, agri, habemus quarumque domini sumus; sed librarius illius genetivi ignarus aut oblitus feminini generis adiectivum necessarium putavit, prorsus ut ille Græcus ἐν τῷ. Idem epist. 99, 26 scripserat: Hi sunt, qui nobis obiiciunt nimium rigorem et infamant præcepta nostra duritiæ, hoc est, accusant, in famam duritiæ vocant, quemadmodum epist. 22, 7 legitur: non est, quod quisquam temeritatis illos apud te infamet. Librarius constructione perrara offensus duritia posuit; sed duritia præcepta infamant, qui ipsi duritia vitæ præcepta in eiusdem vitii suspicionem adducunt. Mirum videtur et tamen manifestam habet causam, quod accidit apud Ovidium epist. III, 30 sqq., ubi Briseis de legatis ad Achillem mitigandum missis (Iliad. libr. IX) sic scribens inducitur, si credimus editoribus:

Auxerunt blandæ grandia dona preces,
Viginti fulvos operoso ex ære lebetas
Et tripodas septem pondere et arte pares.

Atqui precibus legatorum accedunt et pondus addunt adiecta dona; preces (quæ significatæ sunt ipsa legationis mentione) auxisse dona (quæ significata non sunt) perridicule dicuntur; atque hoc confirmant codices, qui habent, boni quidem constantissime, blandas, non blandæ. Sed quid fiet proximis accusativis fulvos .. lebetas .. tripodas? Simpliciter in nominativos transibunt fulvi .. lebetes .. tripodes. Nam cum librarius hiatum in fulvi operoso non ferret (qui in arsi tertii pedis iustam habet

excusationem, ut VIII, 71, IX, 131), fulvos fecit, deinde ad id lebetas et tripodas accommodavit, blandas, quod simul mutandum erat, quia præcesserat, oblitus est mutare[1]). Itaque suo ipse indicio deprehenditur. Atque etiam prorsus alius vocabuli pro ignoto et obscuro non errore, sed coniectura substituti exemplum præbeat Seneca. Is in epist. 113 a plerisque Stoicis, qui fere virtutes ζῶα esse docebant, dissentiens ad hanc sententiam absurditatis convincendam et aliis utitur exemplis et ad extremum illo modo etiam ambulationem animal dici debere ait. Deinde sic pergit (23): Ne putes autem me primum ex nostris non ex præscripto loqui, sed meæ sententiæ esse, inter Cleanthem et discipulum eius Chrysippum non convenit, quid sit ambulatio. Itane vero? De hoc, quod Seneca irridens exempli causa arripuerat, illi iam serio disputaverant, nec, essetne animal, sed omnino, quid esset? Et vide iam, quid ex illa controversia afferatur: Cleanthes ait spiritum esse a principali usque in pedes permissum, Chrysippus ipsum principale. Hoc vero ultra modum ridiculum, Chrysippum dixisse ambulationem esse τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ ἀνθρώπου. Sed nugari desinamus. Inter ipsos principes scholæ Seneca negat convenire, quid esset animatio, τί ἡ ζωοποίησις vel ἡ ζώωσις (utroque enim vocabulo Stoici usi sunt), ut sibi quoque in hac de animali et animatione quæstione suam sequi sententiam liceat[2]).

Additorum interpolando verborum in utriusque linguæ

---

[1]) Studio accusativos efficiendi librarius etiam operosos scripsisse videtur, quod est in antiquissimo omnium codice Parisino, sed in ceteris sublatum est.

[2]) Singularem quandam sententiæ mutatis casibus perversionem interpolando factam ostendam suis locis in Plutarchi Pyrrh. c. 16, (Strabone p. 228), Senec. de const. sap. 4, 3.

scriptoribus exempla differo paulisper, ut id genus, quod propriam habet formam, separatim attingam.

Ex his, quas demonstravi, originibus nata interpolatio quemadmodum deinde latius serpserit et postremo in quibusdam codicibus ad summam licentiam et fœdam labem progressa sit, generatim particulatimve persequi omitto, quia et multiplex materia est nec generibus certis divisa et potius in certis codicibus perpetuo consideranda eaque disputatio seiungi a codicum secundum ætates stirpesque distributione et æstimatione nequit. Tantum dicamus breviter, initia quædam et stamina interpolationis, maxime huius tertii et postremi generis, quod positum est in prava integrorum, sed ob inscitiam aut inconsiderantiam non intellectorum mutatione, antiquissima esse eiusque conatus satis temerarios deprehendi, sed raros et magnis intervallis, non solum in antiquissimis et diligenter alioquin religioseque scriptis codicibus communis generis, velut in Platonis Oxoniensi (seculi noni exeuntis) et Parisino A (quem Bekkerus illo antiquiorem putat), in Aristophanis Ravennati, in Latinis Ciceronis et Livii aliorumque eiusdem ætatis, non hic nata, sed traducta ex exemplis propositis, sed etiam in palimpsestis, velut in Ciceroniano de r. p. I, 51, ubi additum esse eo nomine ostendi et editoribus Turicensibus persuasi, et II, 36, ubi iam Mosero suspectum fuit postquam pro post scriptum. Nonnullis locis grammaticorum scholiastarumque aut aliorum scriptorum testimonio antiqua huiusmodi interpolatio codices nostros omnes obsidens convincitur, velut, ne poëtas scenicos attingam, in Platonis Euthydemo p. 293 D πάντα λέγεις pro παταγεῖς [1]), in Ciceronis Verrinarum libro I, 39 non modo non pro non modo, et 141 verum aut tectum pro

[1]) Miro iudicio Hermannus scripturæ apud grammaticos servatæ, quam ad hunc locum pertinere certissime scholium (πάντ' ἄγεις) demonstrat, prætulit „planissimam" codicum scripturam, id est, manifestam interpolationem.

vafrum, in Catulli carmine LXIV, de Peleo et Thetide, v. 23 et 24, quo exemplo ad audaciam interpolationis nihil est illustrius[1]). Interdum huiusmodi testimonio ex insperato accedit repertus aut inspectus antiquus aliquis codex, qui ceterorum labem effugit, ut in Catilinaria secunda Ciceronis 27 revocatam (primum a Steinmetzio) e scholiis et grammaticis duobus veram scripturam (conivere possum pro consulere sibi possunt) postea duo codices confirmarunt; in Iuvenale quidem cum scholiis et Prisciano in huiusmodi locis fere aut codex Pithœanus consentit (ut VII, 139 et in proxima satira ter in Laterani nomine pro Damasippi) aut alius aliquis (IV, 43, VIII, 155), I, 169 nullus. Fit etiam interdum, ut solus subito ex angulo aliquo emergens antiquus codex interpolationem per ceteros varie sparsam coarguat verumque ipsum contineat, ut in Ovidii metam. VII, 275 sqq. nuper e codice Marciano antiquissimo prolata a Merkelio nec tamen intellecta aut arrepta est recta et vera scriptura (de Medea sacra ad Æsonem recoquendum parante):

His et mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortali barbara maius,
Arenti ramo iampridem mitis olivæ
Omnia confudit summisque immiscuit ima.

Mortali maius dicitur propositum et consilium hominem ex sene iuvenem recoquendi[2]). Aut scribendi errore aut quod

---

[1]) Miror enim, ne Lachmannum quidem pro his versibus: Heroes salvete, deum genus, o bona mater, Vos ego sæpe meo, vos carmine compellabo, in quorum priore unius illius matris appellatio perversissima est, in altero et inanis repetitio et putidum illud sæpe offendunt, e scholiis Vergilianis ad Æneid. V, 80 revocasse egregiam scripturam: Heroes salvete, deum gens, o bona matrum Progenies, salvete iterum; vos compellabo.

[2]) De brevitate comparandi, qua res mortali maior dicitur, quæ maior quam pro mortali est, non puto opus esse disputare (Gr.

scriba vocabuli, quod est propositum, usum ignorans substantivum desideravit, pro maius scriptum est transfusumque in ceteros omnes codices munus; deinde et alia nata et monstrum illud, quod Merkelius posuit: instruxit remorari Tartara munus.

Itaque hæc, ut dixi, in antiquis codicibus, si summam spectes, rara sunt (in nonnullorum tamen scriptorum codicibus, ut Plutarchi et Senecæ, minus) maximeque in iis menda scribendi errore orta aut ipsa relicta sunt aut ita rudis adhibita correctio, ut aut facile prima vestigia invenias aut saltem specie sanitatis non ludaris. Sensim deinde per inferiora secula interpolandi licentia crevit, quæ et plura, in quibus hæreretur, attrectaret et maxime in mendis corrigendis a primis vestigiis longius discederet, illiciente et alente libertatem in Latinis ipso, quod renascebatur, veterum scripta legendi et enarrandi studio; in Græcis, quæ iam antea grammatici Byzantini ausi erant, propagata extrema ætate ad plures scriptores sunt, cum ad Italos aliosque Græcorum librorum cupiditas translata esset. Itaque et multos antiquos optimosque codices altera manus longe recentior multis locis interpolavit primæ scripturæ correctione prava superposita, et ex codicibus ab aliquo homine fortasse pro illorum temporum captu non indocto correctis (cuiusmodi hominum etiam nomina nobis in Sophoclis, in Ciceronis, in poëtarum Latinorum elegiacorum codicibus et alibi tradita sunt) describebantur codices communi interpolatione inquinati nec nisi novis erroribus et ulterioribus conatibus discrepantes, quibus codicibus cum primi editores fere usi essent, in aliis scriptoribus antea, in multis (ut e Græcis Platone, Isocrate, Demosthene, Sophocle, Aristophane) hoc demum seculo ad fideliores et antiquiores codices ex

---

Lat. § 304 n. 4. Horatius ep. I, 17, 40: onus parvis animis et parvo corpore maius).

angulis protractos reditum est. Neque mirandum est, iustæ horum testium reverentiæ adiungi perversam superstitionem hominum neque omnem codicum, etiam antiquorum, condicionem perspicientium neque ad auctoritatis et rationis momenta inter se comparanda ingenio, exercitatione, sermonis rerumque antiquarum scientia satis instructorum, aut esse etiam, qui a simplici veritate ad interpolationem amplectendam ipsa licentiæ singulari magnitudine tanquam thesauro invento decepti relabantur[1]). Sed de toto hoc codicum discrimine, quod in unoquoque scriptore separatim tractandum est, dixi iam hoc loco agi non posse. Brevissime, quod dixi de sublatis recentiore interpolatione veri indiciis, quæ prima mendi forma in antiquis codicibus continentur, duobus exemplis, Græco altero, altero Latino declarabo. Plato legg. I p. 633 D fortitudinem positam esse dicit in certamine non solum cum timoribus et ægritudinibus, sed etiam cum desideriis et voluptatibus et blandimentis adulatoriis (*θωπείας κολακικάς* appellat), *αἳ καὶ τῶν σεμνῶν οἰομένων εἶναι τοὺς θυμοὺς ποιοῦσιν.* Sic enim codices habent, nulla sententia. Itaque in codicibus Bekkeri (e septem) duobus (altero omnium optimo) in margine adscribitur aperta coniectura *κηρίνους*, in uno recenti altera manus hoc in contextu posuit (*κηρ. ποιοῦσιν*), in uno item recenti statim scriptum est, sed post *ποιοῦσιν*. Deinde eadem altera manus in eodem codice *μαλάττουσαι* addidit; itaque editur aut *μαλάττουσαι κηρίνους ποιοῦσιν* aut (a recentissimis) tantum *κηρ. ποιοῦσιν*, nec quisquam vidit, in antiqua scriptura unam addendam esse litteram, ut efficeretur verbum poëticum et elegans de vehe-

---

[1]) Nihil in hoc genere perversius quam quod A. G. Zumptius in Ciceronis orationibus agrariis et pro Murena commisit, de quo etsi Halmius dixit, quædam alibi addam. Nam nihil ex illis sordibus relinquendum est.

menti motu et incitati animi perturbatione, πτοιοῦσιν[1]). Apud Senecam epist. 90, 26 editur: non dedecoros corporis motus (sapientia eruit aut effecit) nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus spiritus aut in exitu aut in transitu formatur in vocem. Mirificos vero cantus (et cantus per tibiam), quibus excipiatur spiritus et in vocem formetur! Apparet describi partem instrumenti musici spiritum, quo infletur, excipientis et in vocem transformantis. Et sic quidem, ut editur, ceteri codices omnes (modo de omnibus recte taceatur) habent, sed in antiquissimo Bambergensi pro cantus quibus est cantisaliqui quibus. Detracto qui, quod ex quibus ortum est, restat cantisali, id est canalis (varios per tubam ac tibiam canalis, quibus exceptus cet.), de quo Seneca ipse vetabit quemquam dubitare, epist. 108, 10 sic scribens: spiritus noster clariorem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore novissime exitu effudit. Sed quanquam codex Bamb. ad verum inveniendum hic dux fuit, tamen ea vestigia, quæ in ceteris plane obruta is servavit, adeo sunt tenuia et confusa, ut simul hic locus documento esse possit, quam sint gravibus mendis nulla non pagina obsiti antiqui et inter ceteros optimi Senecæ codices.

Distuli supra singularem interpolationis formam, quæ constat verborum data opera adiectione, cognatam cum altero additamentorum genere, quæ errore ex margine suscepta sunt, et ita specie similem, ut interdum distingui nequeat. Neque enim raro librarii, quod aut rariorem loquendi formam non expediebant, aut sententiæ cohærentiam membrorumque coniunctionem et distributionem et

---

[1]) Hanc emendationem posui in annalibus philol. Danicis V p. 17 et 158.

quid ex prioribus audiretur vel ex sequentibus adsumeretur, non animadvertebant aut quod verborum, quæ legebantur, vi non intellecta aliquid desiderabant, ad explendam, ut credebant, orationem verbum aliquod aut etiam duo plurave addiderunt, interdum etiam ad mendum aliquod, ut putabant, corrigendum, id est, occultandum. Ea labes quam sit antiqua et optimos quoque codices attigerit, intellegi potest, ut hoc utar, ex vocibus iam ab aliis recte in Platonis Phædone damnatis et contra ceteros codices et contra Oxoniensem (p. 73 C *πρότερον*, p .74 E *ἴσον*, p. 78 D *καλῶν* a Classenio, p. 85 D *ἤ* ab Heindorfio, p. 88 A *ἤ* a Schleiermachero, p. 90 D *τοὺς λόγους*, p. 100 D *εἴτε* a Daehnio, p. 105 B *ἐν τῷ σώματι*, p. 113 B *τῇ γῇ*). Et tamen hac quoque interpolatione sæpe antiquissimos codices et integros carere, quæ in recentioribus demum nata sit, et ex Platonis locis, quos iam attigimus, r. p. VII p. 529 C, legg. I p. 633 D, intellegi potest, et ex Plutarchi, quem paulo post afferemus (Themist. c. 2), et exemplo perquam memorabili declarabitur proximo capite in Platonis Theæteto p. 175 C. Sed nunc in novis quibusdam exemplis quid quoque loco fraudem interpolatori obiecerit, animadvertamus; quorum primum sit ex ipso illo, in quo complura iam notata dixi huius generis, Platonis dialogo. Nam in Phædone p. 93 D, ubi sic scribitur: *Ἀλλὰ προωμολόγηται, ἔφη, μηδὲν μᾶλλον μηδ' ἧττον ἑτέραν ἑτέρας ψυχὴν ψυχῆς εἶναι· τοῦτο δ' ἔστι τὸ ὁμολόγημα, μηδὲν μᾶλλον μηδ' ἐπὶ πλέον μηδ' ἧττον μηδ' ἐπ' ἔλαττον ἑτέραν ἑτέρας ἁρμονίαν ἁρμονίας εἶναι*, necessario tollendum in extremis verbis *ἁρμονίας*, additum aperta de causa, ut hoc membrum simile superiori esset (*ψυχὴν ψυχῆς*); verum non quæritur, quatenus *ἁρμονία ἁρμονία* sit, sed Socrates, de eorum sententia, qui animum *ἁρμονίαν* definirent esse, disputans, ex eo, quod antea concessum est, animum omnem æque esse animum, concludit, si animus *ἁρμονία* sit, non alium animum magis, alium minus esse *ἁρμονίαν* (*ἑτέραν ἑτέρας*

ψυχὴν ψυχῆς ἁρμονίαν εἶναι), sed omnes æque, ut expediri nequeat, cur alius animus sibi conveniat constetque, alius discordet. Alterum sumatur exemplum e r. p. I p. 363 A, ubi sic scribitur: *ἵνα δοκοῦντι δικαίῳ εἶναι γίγνηται ἀπὸ τῆς δόξης ἀρχαί τε καὶ γάμοι καὶ ὅσαπερ Γλαύκων διῆλθεν ἄρτι ἀπὸ τοῦ εὐδοκιμεῖν ὄντα τῷ ἀδίκῳ.* Non aptissimum hoc *τῷ ἀδίκῳ* est; neque enim Glauco iniusto simpliciter hæc evenire dixerat, sed iniusto, qui iustus videretur. Sed omnes codices habent, quod ferri nullo modo potest, *τῷ δικαίῳ*. Id non corrigendum violenter erat, sed tollendum, ut recte sine dativo dicantur illa commoda ex bona fama oriri (ei, qui eam habeat). Interpolator propter præcedentia *δοκοῦντι δικαίῳ εἶναι* dativum desideraverat, in eo ponendo a sententia aberraverat. Eiusdem operis libro VI p. 505 A hæc leguntur: *ἐπεὶ ὅτι γε ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα μέγιστον μάθημα, πολλάκις ἀκήκοας, ᾗ δίκαια καὶ τἆλλα προσχρησάμενα χρήσιμα καὶ ὠφέλιμα γίγνεται.* Ut prætermittam, dicendum fuisse *τὰ δίκαια*, prorsus ridiculum est et a Platonis mente alienissimum, iusta dici boni idea fieri utilia; nam neque de iustorum utilitate agitur et iusta *τῇ τοῦ δικαίου ἰδέᾳ* valent. Manifestum est comparari varia *μαθήματα* et hoc dici, ita summum *μάθημα* esse boni ideam, ut per eam demum cetera quoque *μαθήματα* utilia fiant. Scripsit igitur Plato *ᾗ καὶ τἆλλα*. Librarius oscitans *καί* pro et, non pro etiam accipiens, addidit, quod responderet scilicet *τοῖς ἄλλοις* (quemadmodum Gorg. p. 477 D additum est *ἢ λύπῃ*, ut responderet verbis *ἢ βλάβῃ*, non intellecto, hoc ipsum referri ad superiora *ἢ ἀνιαρότατον καὶ ἀνίᾳ ὑπερβάλλον*). Platonicis exemplis adiungamus unius præterea scriptoris, Plutarchi, interposito tamen illo, quem iam paulo ante ob aliud mendum attigimus, Xenophontis loco Hellen. I, 2, 10: *τοῖς δὲ Συρακοσίοις καὶ Σελινουσίοις .... ἀριστεῖα ἔδωκαν καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πολλοῖς καὶ οἰκεῖν ἀτελεῖ ἔδοσαν τῷ βουλομένῳ ἀεί.* Nam in hoc loco et vehe-

menter per se offendit repetitum moleste in utroque membro dandi verbum et variata forma ἔδωκαν, ἔδοσαν. Cum accedat igitur, ut Xenophon constanter ἔδοσαν dicat (I, 3, 9, V, 3, 10, V, 4, 11, VI, 1, 18 et in compositis I, 2, 18, I, 3, 3 et 21, cet.), nusquam ἔδωκαν, apparet hoc adiectum esse ab aliquo, qui substantivum ἀριστεία suo verbo carere noluerit. In Plutarchi vitis non pauca sunt huius generis, quorum quædam iam alii animadverterunt, velut illud manifestissimum homo, si vixisset diutius, multum Græcis scriptoribus profuturus, Emperius, quod Pyrrh. c. 24 cum Plutarchus scripsisset βίᾳ τῶν ὑπασπιστῶν (invitis et repugnantibus stipatoribus), non intellecto usu vocabuli βίᾳ additum est μετά (βίᾳ μετὰ τῶν ὑπ.). Huic simile, sed paulo occultius est, quod in Pelop. c. 1 accidit, ubi sic scribitur: Ἀλλὰ Συβαρίταις μὲν ἐκτετηκόσιν ὑπὸ τρυφῆς καὶ μαλακίας διὰ τὴν πρὸς τὸ καλὸν ὁρμὴν καὶ φιλοτιμίαν εἰκότως ἐφαίνοντο μισεῖν τὸν βίον οἱ μὴ φοβούμενοι τὸν θάνατον. Hæc nihil aliud significant nisi Sybaritas propter honesti studium et gloriæ cupiditatem enervatos esse deliciis et mollitia; quæ sententia quoniam supra modum ridicula est, qui Græce sciebant et sano iudicio utebantur, Coraës et Schæferus, transpositione subvenire conabantur, ut illa διὰ τὴν ... φιλοτιμίαν coniungi cum his οἱ μὴ φοβούμενοι τὸν θάνατον possent. Sed ne id quidem recte fieret, quoniam in hac acuta contrariorum relatione: (ἐφαίνοντο) μισεῖν τὸν βίον οἱ μὴ φοβούμενοι τὸν θάνατον nihil addi potest, nec profecto causam non timendæ mortis hic opus erat significari. Plutarchus scripserat aptissime: Ἀλλὰ Συβαρίταις μέν, ἐκτετηκόσιν ὑπὸ τρυφῆς καὶ μαλακίας τὴν πρὸς τὸ καλὸν ὁρμὴν καὶ φιλοτιμίαν (Sybaritis, qui deliciis et mollitia studium honesti et gloriæ cupiditatem amiserant et tanquam exustam et liquefactam deposuerant); librarius, qui ignorabat usitatam optimæ ætati formam loquendi, ἐκτέτηκα τὴν ὁρμήν (ut apud Dionysium Halic. VIII, 45 femina dicitur ἐκτε-

τηκέναι τὰς ὁράσεις ὑπὸ δακρύων, sed iam apud Xenophontem ἀποσέσηπα τοὺς δακτύλους, eadem ratione, qua in passiva verbi forma ἐκκέκομμαι τὸν ὀφθαλμόν et infinita alia), ad accusativum expediendum addidit διά, ut in Pyrrho μετά ad genetivum. Alcibiad. c. 18 postquam Hermæ truncati commemorati sunt et fama de Corinthiis rei auctoribus, sic in codicibus pergitur: Οὐ μὴν ἥπτετό γε τῶν πολλῶν οὔθ' οὗτος ὁ λόγος οὔθ' ὁ τῶν σημείων δεινὸν εἶναι μηδὲν οἰομένων, ἀλλ' οἷα φιλεῖ φέρειν ἄκρατος ἀκολάστων νέων εἰς ὕβριν ἐκ παιδιᾶς ὑποφερομένων Quoniam aperte cohærent ὁ τῶν οἰομένων neque genetivus partitivus ullum habet locum, corrigunt scribuntque σημεῖον, prava sententia; nam sic non negatur portentum illud esse (τῶν μὴ σημεῖον εἶναι οἰομένων), sed portentum nullum (unquam) esse terribile statuitur, quod iudicium ad hanc rem nihil pertinet. Tollenda est simpliciter vox addita ab aliquo, qui cum a structura verborum aberrasset, articulum substantivo carere noluit; significatur oratio hominum animo sedato rem contemnentium, qui periculi nihil subesse (δεινὸν εἶναι μηδέν) putabant, sed lasciviam e vino natam. Graviter perturbatus est stolido additamento eiusdem vitæ alius locus in cap. 35, ubi Alcibiadi sua ipsi gloria nocuisse dicitur, quod, cum omnia efficere posse crederetur, si qua in re minus ei successisset, curam defuisse homines putarent, quippe qui non potuisse eum perpetrare non in animum inducerent: Ἔοικε δ', εἴ τις ἄλλος, ὑπὸ τῆς αὑτοῦ δόξης καταλυθῆναι. Μεγάλη γὰρ οὖσα καὶ τόλμης καὶ συνέσεως γέμουσα ἀφ' ὧν κατώρθωσεν, ὕποπτον αὐτοῦ τὸ ἐλλεῖπον ὡς οὐ σπουδάσαντος, ἀπιστία τοῦ μὴ δυνηθῆναι, παρεῖχε· σπουδάσαντα γὰρ οὐδὲν ἂν διαφυγεῖν. Ridicula est gloria plena audaciæ et prudentiæ (γέμουσα συνέσεως); sed ea nata est, quod, cum sic simpliciter Plutarchus scripsisset: μεγάλη γὰρ οὖσα καὶ τόλμης καὶ συνέσεως (cum magna et audaciæ et prudentiæ esset, cum magna in Alci-

biade *καὶ τόλμης καὶ συνέσεως δόξα* esset), scriba genetivi rationem non expediens participium, unde penderet, ineptum adiecit. Sed non minus aut molestum aut manifestum eiusdem generis vulnus inflictum est initio proximi capitis (36): *Τῶν δὲ μισούντων τὸν Ἀλκιβιάδην ἐν τῷ στρατοπέδῳ Θρασύβουλος ὁ Θράσωνος ἐχθρὸς ὢν ἀπῆρεν εἰς Ἀθήνας κατηγορήσων.* Itane vero? Thrasybulusne inimicus erat eorum, qui Alcibiadem oderant? Hoc enim, neque quicquam præterea, verba significant. Sed demus *ἐχθρός* referri ad Alcibiadem; quæ est hæc orationis balbuties, ex iis, qui Alcibiadem odissent, unum eius inimicum fuisse? Nimirum Plutarchus inter eos, qui Alcibiadem odissent, Thrasybulum fuisse dixerat (*Τῶν μισούντων — Θρασύβουλος ὁ Θράσωνος ὤν*), scriba, quo referretur *ὤν*, non animadvertens aut non memor dici *εἶναι τῶν μισούντων*, prædicatum (*ἐχθρός*) addendum putavit. His unum addamus singularis formæ additamentum in Agesilai c. 32 sub fin., ubi hæc leguntur: *Ἀναχωρῆσαι δὲ τοὺς Θηβαίους ἐκ τῆς Λακωνικῆς οἱ μὲν ἄλλοι λέγουσι χειμώνων γενομένων καὶ τῶν Ἀρκάδων ἀρξαμένων ἀπιέναι καὶ διαρρεῖν ἀτάκτως, οἱ δὲ τρεῖς μῆνας ἐμμεμενηκότας ὅλους καὶ τὰ πλεῖστα τῆς χώρας διαπεπορθηκότας.* Nihil vitio sententiæ et orationis manifestius; nam neque *τοῖς ἄλλοις* respondere potest infinitum *οἱ δέ*, sed certum et definitum aliquid, a quo illi separentur, neque ullo modo tanquam in divisione contraria poni possunt *χειμώνων . . . ἀτάκτως* et *τρεῖς μῆνας .. διαπεπορθηκότας*, quorum illa causam discessionis, hæc tempus commorationis et effectum significant, sed cohærent et unam faciunt summam. Itaque his omnibus continuatis: *Ἀναχωρῆσαι δὲ τους Θηβαίους οἱ μὲν ἄλλοι . . . διαρρεῖν ἀτάκτως, τρεῖς μῆνας ὅλους . . . διαπεπορθηκότας*, contrarium infertur: *Θεόπομπος δέ φησιν κ. τ. λ.* Scriba cum non attendisset, inter se referri infinitum et finitum (*οἱ μὲν ἄλλοι . . . Θεόπομπος δέ*), post *οἱ μὲν* (*ἄλλοι*) inferendum putavit,

οἱ δέ, addiditque incommodissimo loco. Atque hæc additamenta, quæ et per se manifesta sunt et inter se confirmant et apertas habent ex simplicissima iudicandi levitate causas, in scriptura integra antea et incorrupta acciderunt. Illud iam ex mendo ante illato natum est; nam in Themistocle c. 2 de Themistocle puero hæc leguntur: *Ἐπεὶ καὶ τῶν παιδεύσεων τὰς μὲν ἠθοποιοὺς ἢ πρὸς ἡδονὴν καὶ χάριν ἐλευθέριον σπουδαζομένας ὀκνηρῶς καὶ ἀπροθύμως ἐξεμάνθανε, τῶν δὲ εἰς σύνεσιν ἢ πρᾶξιν λεγομένων δῆλος ἦν οὐχ ὑπερορῶν παρ' ἡλικίαν, ὡς τῇ φύσει πιστεύων.* Mirum est de puero disciplinarum et artium studioso *οὐχ ὑπερορᾶν*, non contemnere, addita præsertim causa, quod naturæ confideret, quæ ad contemptum tollendum nihil valebat. Sed optimus omnium, ut in Plutarcho, codex Sangermanensis et alii omnino non habent *οὐχ*. Scripserat igitur Plutarchus *δῆλος ἦν ὑπερερῶν*. Vocali *ε* in *ο* mutata, additum est in aliquot codicibus *οὐχ*. In Pyrrhi autem vita c. 22 de rege deliberante, utrum res Italicas an Græcas an Sicilienses potissimum capessat, hæc scribuntur: *Εἶτα τοῖς Σικελικοῖς μειζόνων ὑποκεῖσθαι πραγμάτων δοκούντων, Λιβύης ἐγγὺς εἶναι δοκούσης, ἐπὶ ταῦτα τρέψας Κινέαν μὲν εὐθὺς ἐξέπεμψε προδιαλεξόμενον*, in quibus Sintenis, homo patientissimus, *δοκούσης* iniuria suspectum quibusdam fuisse annotat; equidem meritissimo suspectum dico non solum ob geminatum in eadem constructionis forma idem participium aut quod causæ (*μειζόνων ... δοκούντων*) causa necessario alia forma subnectenda erat, sed quod totum ineptum est, Africam visam esse propinquam esse Siciliæ, quo nihil erat certius aut notius. Plutarchus sic posuerat: *τοῖς Σικελικοῖς μειζόνων ὑποκεῖσθαι πραγμάτων δοκούντων τῷ Λιβύης ἐγγὺς εἶναι, ἐπὶ ταῦτα τρέψας κ. τ. λ.* Cum *τῷ* post *τῶν* excidisset, additum est ad structuram efficiendam *δοκούσης*. Sed Græcorum exemplorum abunde iam est. Latinorum agmen Cicero

ducat, in cuius oratione pro P. Quinctio 75 hæc leguntur: unum tamen hoc (testes, qui ab adversario parantur) cogitent, ita se graves esse, ut, si veritatem velint retinere, gravitatem possint obtinere; si eam neglegere, ita leves sint, ut omnes intellegant, non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adiuvare. Primum, si et gravitas et levitas commemorarentur, debebant hæc ex æquo poni: ita se graves esse ... ita leves esse; perversum, si quid aliud, est: ita se graves esse, ut ita leves sint; deinde aperte sic contraria priori hæc ponitur condicio: si eam neglegere (audito ex superiore membro velint), ut etiam consecutio (ut omnes intellegant) ex eodem (ita se graves esse) pendere debeat; postremo hoc ipsum: ut omnes intellegant, ... **auctoritatem** adiuvare necessario non ad levitatem refertur, in qua nulla est auctoritas, sed ad gravitatem. Itaque omnis sententia pertinet ad gravitatem finiendam et terminandam et necessario sic decurrit: ita (hoc est, hactenus et hac condicione) se graves esse, ut, si veritatem velint retinere, gravitatem possint obtinere, si eam neglegere, ut omnes intellegant, cet., sublatis verbis ita leves sint, quæ addita sunt ab aliquo, qui neque particulæ ita vim neque duplicis et contrariæ sententiæ inde, duplici condicione posita, pendentis rationem intellexerat[1]). Apud eundem in orat. pro Cluent. 199 sic scribitur: atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturæ nomen et iura (Sassia) mutavit, uxor generi, noverca filii, filiæ pellex. Mire ex altera parte nomina, ex altera nomen

[1]) Hac emendationè cum Halmio communicata Kayserus usus est. De ut, quod semel positum utrique membro sufficiebat (ut, si . . ., possint, si . . ., omnes intellegant), ante alteram sententiam consecutivam repetito dixi breviter ad Cic. de fin. V, 10 p. 618.

et cum nomine iura ponuntur; quomodo autem Sassia naturæ nomen mutavit? Scripserat Cicero apte et recte: etiam nomina necessitudinum, non solum naturæ iura, mutavit; deinde, quæ sit hæc nominum mutatio, declarat: uxor generi cet. Qui non attenderat necessitudines naturæ, nomina iuribus respondere, nomina cum nomine (ob singularem naturæ numerum) comparari voluit; ad vocabulum orationi inserendum additum est et. Mire manifestum additamentum latuit apud Valerium Max. IV, 7, 2, ubi Blossius et Pomponius et Lætorius, ille Tiberii, hi C. Gracchi usque ad extremum amici, furiosi conatus strenui comites appellantur, sinistris quidem auspiciis amicitiæ condicionem secuti, sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultæ nobilitatis exempla. Neque nobilitatem illi in Gracchis coluerant, quam si sequi voluissent, contra Gracchos stetissent, neque eius rei hoc capite Valerius exempla colligit, quod de amicitia est et inscribitur. Nobilitatis addidit, qui dormitans non attendit audiri ex proximo amicitiæ. Apud eundem IX, 1, 4 prave post comparativum additum quam frustra et olim et nuper corrigendo tentatum est, quo eiecto recta et sententia et oratio huiusmodi erit: Et quanto tamen insequentium seculorum ædificiis et nemoribus angustiorem introduxerunt atque inchoatam a se lautitiam posteris relinquere quam a maioribus acceptam continentiam retinere maluerunt. In codicibus est angustiorem quam introd. Paulo longius Valerius lautitiam reiecit, quod duas sententias quodammodo conflavit, alteram hanc: Et quanto .... angustiorem introduxerunt lautitiam, alteram hanc: inchoatam a se lautitiam posteris relinquere quam ... maluerunt[1]). Sed in

[1]) Simili mendo apud Columellam bis post tantum, quo sequente ut aut ne finis significatur, ad quem usque progrediendum

Valerio Maximo singulare hoc accidit, quod codex omnium princeps, Bernensis, additamenta quædam habet, sed punctis notata, quod scriba, diligentius considerato exemplo, quod sequebatur, intellexit ea, in margine aut inter versus annotata, in orationem recipienda non fuisse; nam coniectura ea delere sane in mentem non venit. Id ita esse in VII, 6, 3 (effectum) post Pighium Halmius intellexit, sed tribus locis a vero aberravit. Nam IV, 1, 14 perspicuum est, e codice optimo additis duabus litteris scribendum sic esse: Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Porcium nomen, velut expers huiusce gloriæ, silentio prætereundum esse (cod. se), negat posterior Cato (id est, factis suis præteriri vetat). Cum levi errore turbatus orationis nexus esset, post negat additum est fieri debere, sed, ut dixi, in cod. Bernensi notatum, in ceteris sine nota. De VI, 9, 1 et VII, 3, 10 iam non opus esse puto separatim dici. Gellii locum I, 3, 29 facillime sic decurrentem: quoniam profecto causarum ac temporum varietates discriminumque ac differentiarum tenuitates decretum (derectum?) atque perpetuum distinctumque in rebus singulis præceptum ... non capiunt (id est, non recipiunt nec admittunt) prorsus perturbavit participium ignorantes inter tenuitates et decretum propter longiorem verborum seriem et propter ignoratam verbi capiunt vim additum. Postremus sit ex hoc genere Senecæ locus in epist. 36 extr., ubi quod editur: si hoc unum adiecero, nec infantes nec pueros nec

---

aut ultra quem progrediendum non sit, prave additur quantum, II, 10, 27: serito tantum, [quantum] ut singuli cyathi seminis locum occupent decem pedum longum et quinque latum, et I, 4, 8: atque areæ pedem tantum complectatur, quod ait Cato, [quantum] ne villa fundum quærat neve fundus villam.

mente lapsos timere mortem, neque verum per se est (— nam pueri vehementer mortem extimescunt —) neque aptum ad id, quod significatur, mortem neque ab iis timeri, in quibus ratio nondum lumen extulerit, neque ab iis, in quibus exstincta sit. Duo genera Seneca fecerat: nec infantes pueros nec mente lapsos; interpolator inscite pueros ab infantibus separavit.

Satis hoc est exemplorum, quibus eadem cautio adiungenda est, quam in cognato scribendi errore addidi. Nam hic quoque non raro de librariis incredibilia finguntur, nec tantum de singulorum verborum, sed de maioribus et magis artificiosis additamentis. Nam ut in prosæ orationis scriptoribus annotationes marginales interdum licenter et temere finguntur, sic in poëtarum operibus nimis facile versus singuli complureſve in suspicionem adducuntur a nescio quibus interpolatoribus et falsariis eo consilio compositi esse, ut veris intersererentur; nam prorsus fraudulentos nobis, non simplices homines rudesque critici quidam fingunt. Ut enim exempla sunt versuum singulorum aut paucorum ad lacunam antiquiorem codicum explendam aut mendum, quo sententia pessundata esset, occultandum aut etiam ad sententiam, quæ curti aliquid habere videretur, amplificandam excogitatorum, ita prorsus ab omni probabilitate abhorrent, quæ nunc a quibusdam de tragœdiis Græcis versibus spuriis impletis narrantur. Nam, contenti futiles et ineptos interpolatores appellare, neque quando illi homines vixerint, dicunt, neque cuiusmodi scientia et arte præditi fuerint, neque quo consilio illos versus, quibus sublatis omnia bene habere affirmantur, interposuerint neque quomodo eos in codices insinuaverint; si autem iudicii causas in singulis locis quæras, aut nihil nisi convicia communia reperias aut superba edicta, quibus vetantur tragici copia quadam et ubertate naturali dicendi personas utentes inducere (ut Sophocles in Aiace 327) generalemve sententiam interponere, aut eiusmodi dubitationes, quæ

in multos alios versus non minus cadant aut propter tragicæ orationis fines non satis ubique nobis notos aut propter scribendi mendum; interdum quidem menda tam aperta sunt et manifesta, ut verba litteræve sensu cassæ interpolatori quamvis perverso tribui nequeant; itaque delendo nihil agitur nisi ut difficultas vi occultetur; estque hoc quoque perfugium criticorum non se expedientium neque libere, quæ sit res, fatentium, quo perfugio interdum ita abutuntur particulas versuum violenter mutatas et transpositas conflantes (ut in Sophoclis Antig. 23 sqq.), ut, rideas an indignere, nescias. Ceteros tamen in hoc genere (nisi quod Hartungius excipiendus est) nuper vicit Gu. Dindorfius, vir Græce perdoctus et in rebus grammaticis exercitatissimus, sensim ab aliis initiis in hanc viam ingressus, neque ulla peius vexata est tragœdia quam Iphigenia Aulidensis. Nam quod epilogus iustæ suspicioni aditum dabat, omnia licere rati et Dindorfius uterque et ceteri fabulam ab Euripide imperfectam relictam (et tamen actam et editam) narrant, et interpolatores fingunt alios Aristotele antiquiores[1]), sed tamen nec versuum leges nec sermonis satis callentes, alios multis (ut ipse Dindorfius ait) seculis inferiores, et longos versuum ordines eiiciunt, quibus ipsi confitentur fabulam carere non posse (ut in carmine chori, quod a v. 164 incipit, cuius quattuordecim versus Dindorfius relinquit, sed plures Euripidem additurum fuisse, si fabulam perfecisset, putat, et v. a 413 ad 441), iis, quæ significavi, argumentis utentes. Præiverat in hoc criticæ genere in Latinis Hofman-Peerlkamp, qui cum suas Horatio poësis leges scripsisset et multos in sententiis et verbis intellegendis errores et prava de rebus ad Latinum sermonem pertinen-

[1]) Vid. Dindorfii præfat. ed. quintæ poët. scenic. p. VI de Iphigeniæ Aulidensis v. 80 (Aristot. rhetoric. III, 11). In Sophoclis quoque Antigona (900—928) Aristotelem interpolatione deceptum fingunt (Arist. rh. III, 16).

tibus iudicia adiecisset, Horatium laniavit. Qui tamen ne solus in hac pravitate esset aut temeritate summus, nuper (ne Gruppium commemorem) Lehrsius in Ovidii epistolis (quæ Ovidium, quæ alios scripsisse iudicabat, eadem lege secans), in Iuvenale Ribbeckius effecerunt. Ego si ita in scriptorum veterum operibus refingendis et amplificandis interpolatorum licentiam grassatam esse aut grassari potuisse crederem, omnem eorum contextus constituendi conatum abiiciendum putarem; nunc hæc somnia lususque arte nostra parum dignos iudico.

Exposui, quæ essent summa et præcipua mendorum in codicibus veterum scriptorum genera et fontes, totamque hanc veræ scripturæ depravationem ostendi sic non solum ætatibus et ingeniis et condicione librariorum, sed etiam scriptorum genere et forma ipsaque fortuna variari, ut ad rectum codicum usum in singulis scriptoribus eorum proprietates et bona et mala exquirenda æstimandaque sint. Ac iam si quis quærat, quid ex hac depravationis universæ cognitione profici ad ipsam artem criticam exercendam maximeque, de quo hic agitur, ad rectum coniecturæ usum putem, scio dicoque, qui errandi genera universe norit, neque ideo aut, ubi sit erratum, scire (— nam omnia illa, quæ tanquam exempla posui menda et correxi, sermonis et rerum scientia et recta sententiæ exquisitione deprehendi —) aut, quomodo, neque emendandi viam ipsam tenere; sed instructus erit ad quærendum scietque, quæ tentari possint debeantque, poteritque, quid probabile sit accidisse, quid non sit, æstimare, modo ad hunc universum depravationis intellectum adiecerit illam propriæ scriptorum fortunæ cognitionem, qua probabilitatis iudicium certius regitur et, qui sit in unoquoque scriptore coniecturæ usus, quæ condicio, constituitur. Aliorum enim scriptorum, quorum libri inde ab antiquis temporibus perpetuis hominum studiis celebrati sunt, codicibus tam antiquis diligenterque scriptis utimur, tantaque ad codices adiungitur

testimoniorum in scholiis et apud grammaticos aliosque vis, quid antiquitus lectum fuerit, ostendentium, ut omnis hæc, quæ mediæ inter antiqua et nova tempora ætatis seculis codices inquinavit, depravatio arceatur aut pellatur coniecturæque pæne aditus præcludatur aut perangustus relinquatur, qualis Homeri Vergiliique condicio est, a quibus non ita longe Horatium distare iudico cautissimeque eum attingo; aliorum antiquos et bonos codices habemus, sed tamen et ætate et auctoritate inferiores et pauciores, raris accedentibus extra codices testimoniis, ut coniecturæ et usus non parvus sit et adminicula firma, qualis (ut his utar exemplis) nunc Platonis fere totius fortuna est et Ciceronis in magna operum parte, quanquam in his ipsis magis varia; alia denique veterum opera aut mature neglegenter describi et graviter vitiari cœpta sunt aut recentioribus tantum et interpolatis codicibus continentur, ut coniectura multa egeant, sed ea, in quo tuto consistat, vix inveniat, etsi in quibusdam depravationis simplicitas adiuvat.

Cap. II.

Mendorum corrigendorum via breviter monstratur et exemplis declaratur.

Primum est emendationis initium, sine quo tentari coniectura non debet, mendum demonstrare et certis indiciis convincere aut saltem ita probabiliter arguere, ut iustæ suspicioni sit locus; in quo ante omnia tenendum est, sic esse coniunctam scriptorum interpretationem enarrationemque et criticam artem, ut hæc illi primum recto codicum usu textum præparet purgetque, deinde ipsa ab ea denuo evocetur et ad conandum instigetur, cum in eo, qui e codicibus constitutus sit, textu enarrandi operam non recte procedere nec absolvi posse intellectum sit. Itaque omnia, quæ in bono enarratore, eadem in critico esse de-

bent et vel maxime coniecturam regere, sermonis scientia ratione et usu confirmata et legum gnara et naturalis libertatis et inflexionis, rerum sententiarumque et earum, quæ proprie in quoque opere tractentur, et earum, quæ ex communibus antiquitatis institutis, historia, opinionibus intercurrant, intellegentia, sensus ad aliorum cogitata e verbis percipienda natura et exercitatione aptus, prudens de scriptorum arte et consuetudine et consiliis iudicium et probabilitatis in iis, quæ de scriptoribus aliisve (librariis) credi possint, æstimatio. Et quanquam ita comparata res est, ut non pauca, quæ ad ipsam tantum orationis formam grammaticam et communes sententias pertinent, recte iudicari et corrigi etiam ab eo possint, qui argumenti a scriptoribus proprie tractati non multam nec accuratam cognitionem intellegentiamque afferat, tamen non exiguum est periculum, ne quis fines transiliat et ad ea, quibus non sufficiat, progrediatur[1]).

Et in codicum quidem dissensu aperto et notabili, si id, quod tolerabilem orationem sententiamque videtur habere, in recentibus tantum suspectisque codicibus reperitur, in bonis autem et fide dignis litteræ et verba manifesto prava, quæ ex illa altera scriptura errore detorta et postea facili probabilique coniectura ad illam revocata videri nequeant, id iam sufficere debet ad sanitatis speciem tollendam, ut ex meliorum codicum vestigiis coniectura verum quæratur, etsi fere semper accedit, ut id, quod in deterioribus codicibus sit, paulo diligentius excussum orationis aut sententiæ vitium habere reperiatur aut saltem languidum esse et iners nec consilio scriptoris aptum. Deteriorum autem co-

[1]) Exemplum lusus critici rerum intellegentia prorsus carentis, sed simul iudicii et in codicibus æstimandis et in rebus grammaticis tractandis levis et perversi olim Wakefieldium descripsi, Lucretii editorem (opusc. acad. I p. 305 sqq.), postea Gœrenzium, ex omni pravitatis genere æquabiliter conflatum.

dicum a bonorum scriptura per se non suspecta dissensus nullam omnino habet coniecturæ causam nihilque inanius esse potest suspicionibus, quæ ex huiusmodi mendis et interpolationibus ductæ etiam non contemnendorum philologorum, velut Nic. Heinsii, commentarios implent. Omnium autem codicum aut bonorum consensu stabilita scriptura mendi convincitur, si ex ea oratio sententiaque eiusmodi non efficitur, quæ scriptori tribui iure possit. Neque enim, quid sit per se rectum aut etiam elegans, quæritur, sed, quid ita cum scriptoris ingenio et consuetudine et operis universa forma conveniat et ita inter se cohæreat, ut, etiamsi reprehendi fortasse aliqua ex parte possit, tamen in id incidere scriptor potuerit; atque, si quid corrigi tanquam mendosum velis, eo dirigenda accusatio est, ut absurdum esse repugnareque inter se et cum proximis ostendas aut a scriptoris tempore, ingenio, scientia esse alienum neque probabilem habere excusationem aut, cur exciderit scriptori, explicationem. Nam multa scriptor aut non utique malus aut etiam alibi bonus rebus falsa, sententia vitiosa, oratione inconcinna posuisse potest (ne de unius alteriusve rei ignoratione aut errore dicam) aut festinans aut etiam materiæ non satis par, cuius generis exempla permulta in Ciceronis de philosophia libris notavi deque tota re dixi in præfatione ad libros de finibus a me (iterum) editos p. LXII sqq., atque interdum etiam consilio non vere scripsisse aut acumen captans in inania incidisse (quod aliquotiens Tacito accidit) et ab orationis consueta norma aberrasse. Sed et ubi scriptor sententia aberrat, tamen apparet voluntas ad propositum aliquod tendens formaque eo consilio instituta, et, ubi improprie loquitur aut constructione excidit, a sui tamen temporis loquendi usu, ut ita dicam, gradatim aut novæ notionis significandæ aut rhetorici artificii causa aut lusu ad insolitum verbi usum aut propter singularem orationis implicationem ad constructionem inusitatam et perturbatam delabitur nec aperte et simpliciter legi et usui communi aut

suæ ætatis contraria ponit. Ipse autem usus quam habeat libertatem et motum, quærendum est ea grammaticæ probabilitatis lege, de qua alio huius libri loco dicam, nec in generibus sermonis a communi usu remotis angustiores certioresve termini, quam verus scientiæ nostræ modus patitur, constituendi (velut in sermone tragico cum de aliis multis, tum, ut exemplo utar, de media verborum forma pro activa interdum posita). In poëtis eadem, quæ in rebus grammaticis, etiam in metricis cautio adhibenda est. Atque in his omnibus ut fugienda est ignavia difficilia et prava non sentiens et superstitio in apicibus scriptis timide hærens et ad eos defendendos artificiosa et contorta et incredibilia quæque nemo veterum intellegeret fingens, sic non minus vitandus est contrarius quidam error ea, quæ ad communem sensum et usum accommodate dicuntur, ad rabularum subtilitatem revocans et calumniis oppugnans, quod Bentleius in Horatio non raro fecit, interdum etiam in aptissimis et apertissimis significationibus et iocis aberrans (ut in digito male pertinaci od. I, 9, 24). Nihil est autem in mendo arguendo firmius quam si plura rationum momenta a diversis ducta initiis concurrunt, ut si ad sententiæ vitium insolitus verbi usus accedit aut grammaticæ legis violatio aut rhetoricæ formæ manifesto institutæ perturbatio (ut apud Velleium Paterc. II, 29, 2, quem locum supra correxi), aut si etiam ad eas, quæ intus oriuntur, dubitandi causas adiungitur, si diligentius attendas, aliquid extrinsecus aut ex scholiastæ annotatione ad id, quod scriptum est, non apta aut ex imitatione aliqua (cuius generis exemplum in Aristophanis pace v. 800 suo loco monstrabitur) aut in illa ipsa scriptura, quæ tanquam codicum omnium defenditur, aliqua tamen a codicibus discessio, velut (quod perfrequenter accidit) in verborum ordine. Atque hoc, quod extremum posui, admodum notabili exemplo declarare libet. Nam in Plutarchi Pelopida c. 23, ubi describuntur Spartani sic exercitati, ut in prœlio, si acies dissoluta esset, quem cuique locum casus et

fortuna obtulisset, eo facile uterentur ibique proximis se aggregantes pugnarent, hæc leguntur: *πρὸς οὐδὲν οὕτως ἐπαίδευον αὐτοὺς καὶ συνείθιζον, ὡς τὸ μὴ πλανᾶσθαι μηδὲ ταράττεσθαι τάξεως διαλυθείσης, ἀλλὰ χρώμενοι πᾶσι πάντες ἐπιστάταις καὶ ζευγίταις, ὅποι ποτὲ συνίστησιν ὁ κίνδυνος καὶ καταλαμβάνει, καὶ συναρμόττειν καὶ μάχεσθαι παραπλησίως.* Vehementer offendit illud *συνίστησιν ὁ κίνδυνος*, quod debet esse: quo eos periculum defert, præsertim sequente, quod necessario prius est, *καὶ καταλαμβάνει* (defert et deprehendit). Verum in codicibus primum omnibus est *καταλαμβάνοι*, aptum ad præteritum tempus verbi sententiæ primariæ (*ἐπαίδευον*, *συνείθιζον*), quod editores propter *συνίστησιν* mutarunt; deinde boni codices omnes *καί* non ante *καταλαμβάνοι*, sed ante *συνίστησιν* habent, hac forma: *ὅποι ποτὲ καὶ συνίστησιν ὁ κίνδυνος καταλαμβάνοι.* Itaque mendum manifestum tenetur, ad cuius correctionem ut perveniamus, animadvertendum est, sententiam universam recte per se absolvi his *ὅπου* (sic enim scribendum est) *ποτὲ ὁ κίνδυνος καταλαμβάνοι* (ubi eos periculum deprehenderet); itaque illo *συνίστησιν* continetur aliquid, quod ad id, quod adverbio *ὅπου* monstratur, amplificandum pertineat; id efficietur vocabulo in tria, ex quibus coaluit, sic dissoluto, ut una littera adiiciatur, una mutetur: *ὅπου ποτὲ καὶ σὺν οἵστισιν ὁ κίνδυνος καταλαμβάνοι*, ubi et cum quibuscunque periculum eos deprehenderet.

Facile intellegetur, accidere interdum, ut mendi suspicio non temeraria nec levis oriatur nec tamen id prorsus certo convincatur; non ita raro rem conficit reperta ipsa emendatio ita omnibus indiciis vestigiisque apta et respondens itaque manifesto mendi originem declarans, ut omnis dubitatio tollatur, cuius rei exempla ex locis compluribus superiori capite tractatis sumi posse arbitror.

Convictum mendum primum nudandum plane est de-

trahendaque et abiicienda omnia, quæ ad id occultandum accesserunt, non tantum longius progressa, sed etiam prima interpolationis stamina, et prima, quantum fieri potest, erroris forma invenienda; velut in Livii XXII, 28, 4 ab eo, quod codices vulgares habent, semper occursurum, redeundum mihi fuit non solum ad per occursurum, quod in Colbertino est, sed ad per ocursurum, quod in Puteaneo, ut inde verum erueretur procursurum (emendatt. Liv. p. 200); tum autem etiam circumscribendum terminandumque sua sede vulnus, ne sana et recta, quæ id cingunt, hoc est, sibi constantia et apta et formam sententiæ orationisque demonstrantia, simul in dubitationem trahantur convellanturque (ut in Plutarchi, quem paulo ante tractavimus, loco hæc: *ὅποι ποτὲ καὶ . . . ὁ κίνδυνος καταλαμβάνοι*, etsi *ὅποι* suum habet mendum, sed perexiguum). Sed abiecta sic interpolatione subsistendum est paulisper videndumque acriter, ne non solum ad proximam vero formam, sed ad ipsum verum perventum sit; nam interdum mens, manifesta interpolationis pravitate depulsa, tamen confusa semel et perturbata non animadvertit, se id tenere, ultra quod nihil quærendum sit et quod non intellectum interpolationem pepererit. Egregius est ad huius admonitionis vim monstrandam Platonis locus in Theæteto p. 175 C, ubi Socrates ostendit, quid accidere soleat, cum philosophus aliquem e vulgo hominem a communibus opinionibus et sermonibus sursum ad altiora et ad ideas contemplandas vocare et extollere conetur; sic enim ibi scribitur nunc: *Ὅταν δέ γέ τινα αὐτὸς, ὦ φίλε, ἑλκύσῃ ἄνω καὶ ἐθελήσῃ τις αὐτῷ ἐκβῆναι ἐκ τοῦ· τί ἐγὼ σὲ ἀδικῶ ἢ σὺ ἐμέ; εἰς σκέψιν αὐτῆς δικαιοσύνης τε καὶ ἀδικίας, τί τε ἑκάτερον αὐτοῖν καὶ τί τῶν πάντων ἢ ἀλλήλων διαφέρετον, ἢ ἐκ τοῦ, εἰ βασιλεὺς εὐδαίμων κεκτημένος τ' αὖ πολὺ χρυσίον, βασιλείας πέρι καὶ ἀνθρωπίνης ὅλως εὐδαιμονίας καὶ ἀθλιότητος ἐπὶ σκέψιν, ποίω τέ τινε ἐστὸν καὶ τίνα τρόπον ἀνθρώπου φύσει προσήκει τὸ*

μὲν κτήσασθαι αὐτοῖν, τὸ δ' ἀποφυγεῖν, περὶ τούτων ἁπάντων ὅταν δέῃ λόγον διδόναι τὸν σμικρὸν ἐκεῖνον τὴν ψυχὴν καὶ δριμὺν καὶ δικανικόν, πάλιν αὖ τὰ ἀντίστροφα ἀποδίδωσιν (prorsus ei paria accidunt iis, quæ ante in philosopho ad communes hominum sermones detracto commemorata erant). Primum ut in priore membro recta oratione positum erat exemplum (ἐκ τοῦ· τί ἐγὼ σὲ ἀδικῶ, ab huiusmodi iudicii et sermonis forma: quam ego tibi iniuriam facio?), sic in altero, deleto εἰ, inducendus est homo recta oratione vulgi more regem Persarum beatum ob pecuniæ magnitudinem prædicans: ἐκ τοῦ· βασιλεὺς εὐδαίμων κεκτημένος τ᾽αὖ πολὺ χρυσίον (ab huiusmodi iudicio: rex beatus est magnam pecuniam possidens); εἰ significaret dubitationem, beatusne rex esset necne, a vulgari opinione alienissimam. Sed hoc parvum; illud agitur, quid faciendum sit illi τ᾽αὖ apertissime orationem perturbanti et, ut nunc est, abundanti; itaque alii aliter corrigunt sine ulla probabilitate (ut Heusdius πάνυ), Hermannus autem, mirabili ultra fidem iudicio, quia a codice omnium longe præstantissimo, Oxoniensi, abest πολύ, tollendum notat, quid putas? non πολύ, sed τ᾽αὖ, quod ex illo natum credit; ita, inquam, τ᾽αὖ ortum ex πολύ, quod non scriptum erat. Abest autem πολύ non solum ab Oxoniensi, sed a Vat. Δ et Ven. Π, hoc est, post Oxoniensem optimis, nisi quod in Π, ut manifestior interpolatio sit, altera manu additum est. Eo igitur sublato supersunt hæc: βασιλεὺς εὐδαίμων κεκτημένος ταυ χρυσίον. Apparet, ubi ταυ scriptum est, requiri ad sententiam efficiendam adiectivum multitudinem (et eam magnam) significans. Id quomodo reperietur? Adest vero ipsum, nulla littera mutata ταῦ, annotatum apud Hesychium sic: ταῦς, μέγας, πολύς, cui subiicitur ταῦσας, μεγαλύνας, πλεονάσας. In vulgi iudicio et sermone imitando usus est Plato plebeio vocabulo, apud scriptores inusitato; ei in deterioribus codicibus interpretamentum id ipsum adiunctum est, quo Hesy-

chius secundo loco utitur; similis generis est, quod supra Platoni restitui *περικάτω*, simile etiam *καλὰ παταγεῖς* aliaque. Græco huic exemplo adiungatur Latinum, quod in superiore capite posui, ex Ovidii metam. VII, 276[1]). Interdum loco gravem mendi suspicionem habenti atque, qualis editur, prorsus vitioso subvenitur non scriptura mutata, sed tantum oratione melius distincta novaque ita sententia effecta, quo genere mendi speciem tollendi et olim memini me non ita raro uti et utar sæpius; nunc tria exempla ponamus, in quibus unum eiusmodi, quod etiam rarum et ignoratum habeat vocabuli alicuius usum. Apud Demosthenem orat. I adv. Aphobum 63 sic nunc editur: *Ὅπου γὰρ δέκα ἐτῶν διαγενομένων παρὰ μὲν τῶν οὕτω μικρὰ κεκόμισμαι* (*Σ κεκομίσθαι* Funkhaenel *κεκόμισται*), *τῷ δὲ καὶ προσοφείλων ἐγγέγραμμαι, πῶς οὐκ ἄξιον ἀγανακτεῖν; δῆλον δὲ παντάπασιν· εἰ κατελείφθην μὲν ἐνιαύσιος, ἓξ ἔτη δὲ προσεπετροπεύθην ὑπ' αὐτῶν, οὐδ' ἂν τὰ μικρὰ ταῦτα παρ' αὐτῶν ἀπέλαβον.* Verum initium hoc sententiæ *ὅπου γάρ* non ad interrogationem et excla-

---

[1]) Admonet me Platonis locus ob ignorationem insoliti vocabuli omnibus litteris recte scripti depravatus simillimi erroris nondum ex Horatii satir. II, 2, 29 consensu omnium expulsi, quod, postquam semel verum in mentem alicui venit, fieri pridem oportuit. Nihil enim certius est quam Horatium scripsisse: Carne tamen, quam vis, distat nihil hac magis illa, id est, ab hoc catino, in quo pavo appositus est, ille, in quo gallina. Nam quod obscure hoc scriptum aiunt, Romanis, qui magida norant, nihil magis perspicuum esse poterat quam hoc: illa magis non distat hac. Sed verentur homines confiteri a tot millibus hominum summisque philologis vocabulum non ignotum pro adverbio pervagato habitum esse, nec celebratum tot tamque longis disputationibus locum tam facile expediri et silentio tradi æquo animo ferunt. Quot poterant etiamnunc de illo Platonis et hoc Horatii loco programmatum paginæ impleri? Potuisse dixi? Poterunt; ne desperaveris.

mationem de indignitate rei præparandam aptum est, sed ad ratiocinandum, quid alia condicione posita eventurum fuerit, idque etiam apertius fit additis illis δέκα ἐτῶν διαγενομένων. (Ex Germanica interpretatione res facilius fortasse sentietur: Wenn ich nach Verlauf von zehn Jahren —.) Deinde illud δῆλον δέ confirmationem promittere videtur superiorum; itaque etiam in vulgaribus codicibus apte ad hanc sententiam interponitur γάρ (εἰ γάρ); atqui sequitur non confirmatio, sed gravioris, si alia condicio fuisset, eventus significatio, prorsus a δῆλον δέ aliena, aptissima ad illud initium ὅπου γάρ. Quid igitur fiet? Coniungantur, quæ cohærent, argumenti conclusi partes: Ὅπου γὰρ ... ἐγγέγραμμαι, πῶς οὐκ εἰ κατελείφθην μὲν ἐνιαύσιος, ἓξ ἔτη δὲ προσεπετροπεύθην, οὐδ' ἂν τὰ μικρὰ ταῦτα παρ' αὐτῶν ἀπέλαβον; His interponitur per parenthesin exclamatio, indignum esse, quod dicturus orator sit, sed manifestum: (ἄξιον ἀγανακτεῖν, δῆλον δὲ πανταπασιν)[1]). Sed notabilior Senecæ locus in epistola 92, 12, qui nunc, revocata optimorum codicum scriptura, nullo sensu sic editur: Itaque non est bonum per se munda vestis, sed mundæ vestis electio, quia non in re bonum est, sed in electione, quali actiones nostræ honestæ sunt, non ipsa, quæ aguntur. Quæro et universe, quæ sit electio, quali aliquid fiat, et nominatim, quæ electio, quali actiones nostræ honestæ sint, magisque, quæ electio, quali non ipsa, quæ aguntur, honesta sint; sed quoniam, qui id mihi dicat, reperturum me despero nec melior res fit deteriorum

---

[1]) Κεκομίσθαι illud nihil nisi error optimi codicis est; verbum passivum tertiæ personæ ab hac coniunctione παρὰ μὲν τῶν ... τῷ δὲ καὶ ... προσοφείλων ἐγγέγραμμαι et a tota argumenti conclusione alienum est. Nec recte de redditis bonis dicitur μικρὰ κεκόμισται.

codicum et superiorum editorum interpolatione, qua aut quia pro quali substituentium, mihi ipse sic consulo, ut primum hanc extremam sententiam prorsus separem et per se ponam, plenam et absolutam: Actiones nostræ (hoc est, agendi forma et voluntas) honestæ sunt, non ipsa, quæ aguntur (materia et effectus agendi in ea positus); deinde autem ne in prioribus quidem ullam litteram mutem; recte enim non communi usu, sed scholæ dicitur: sed in electione quali, hoc est ποιᾷ, certæ cuiusdam qualitatis. Sic ipsum Senecam dixisse epist. 117, 27: prius aliquid esse debet, deinde quale esse, et ante eum Ciceronem academ. I, 28, lexica docent; addatur nunc tertium hoc testimonium. Reditum etiam ad codices (hic quidem plerosque, non solum optimos) apud eundem Senecam epist. 94, 7, ubi agitur de minuendo tollendoque eorum timore, quæ vulgo hominibus terribilia videntur, sed reditum ita prava sententia, ut Haasius quinque verba delenda putaret, forti et facili remedio utens; sic enim scripsit: efficias, ut, quicquid publice expavimus, sciat non esse tam timendum quam fama circumfert: [nec dolere quemquam nec mori.] sæpe in morte, quam pati lex est, magnum esse solatium, quod ad neminem redit; in dolore cet. Interpolando factum erat: ... circumfert, nec dolere quoque nec mori, quod Latine dicendum erat: ne dolere quidem nec mori. Sed illis sublatis manet pravitas in adverbio sæpe; nam hoc solatium, quod nemo plus semel moriatur, non sæpe, sed semper adest. Transferamus punctum; habebimus: non esse tam timendum quam fama circumfert; nec dolere quemquam nec mori sæpe; in morte ... magnum esse solatium cet. Occurretur, ut rectissime dicatur, neminem mori sæpe, ita negari non posse, quemquam dolere sæpe. Supergressus est igitur Seneca, dum declamatorie loquitur et acumen captat, veritatem eadem audacia, qua Epicurus negabat ullum magnum dolorem longum esse (quæ sententia proxime aliis

verbis subiicitur); poterat acumine servato et sententiæ forma rectius scribere: nec dolere quemquam semper nec mori sæpe; nec ausim contradicere, si quis semper excidisse dixerit aut de industria omissum esse ante nostrorum codicum ætatem, quod scribæ non attento uni tantum adverbio locus esse videretur[1]).

Verum ubi leni hoc remedio nihil proficitur, quod verum subest mendum, ibi iam omnia versanda, rimanda nec ullum minimum vestigium contemnendum; sæpe enim perexiguo litterarum indicio et mendum iam deprehensum certius convinci et eius formam genusque et viam correctionis monstrari, cum infinita alia ostendunt exempla, tum hoc, quod ex Senecæ consolat. ad Marciam c. 10, 1 ponam. Editur ibi sic: Quicquid est hoc, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria et exclusorum clientium turba referta vestibula, clara, nobilis aut formosa coniux ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia alieni commodatique apparatus sunt. Mendum oratio et sententia arguunt, primum quod prava et a Seneca non minus quam ab aliis huius ætatis scriptoribus aliena est hæc enumerandi forma: clara, nobilis aut formosa, particula disiunctiva inter primum et secundum membrum omissa, inter secundum et tertium posita[2]), deinde quod in coniugii felicitate recte nobilitas uxoris aut forma laudatur, claritas ex rebus gestis nulla solet esse aut expeti. Sed his, quæ per se certa sunt, tamen multi credere non auderent, qui autem crederent, si nihil accederet præterea, neque, quale esset

[1]) Ep. 93, 9 recte superiores editiones: Et tamen quousque vivimus? Omnium rerum cet. Negat Seneca causam esse vitæ longius protrahendæ et causas negandi addit. Apud Fickertum et Haasium sine ulla sententia scribitur: et tamen, quousque vivimus, omnium rerum cet.

[2]) Horat. sat. I, 6, 38 scribendum est Syri Damæ aut Dionysi filius, non Syri, Damæ. Duo servorum nomina Horatius ponit, priori cum contemptu patriæ nomen addit.

mendum neque quæ correctio adhibenda, scire possent. Nunc codex Mediolanensis (A), ceteris et ætate et bonitate longe præstans, qui non clara, sed clarum scriptum habet, Senecam ostendit scripsisse: clarum **nomen**, nobilis et formosa coniux, librarium autem a priore syllaba no ad alteram aberrantem vocabulum omisisse. Aptissime inter cetera adventicia et externa claritas generis et nominis ponitur.

Plane iam perpurgatis, quæ in codicibus posita sunt, tum vero retractanda omnia ea orationis sententiæque indicia, quibus iam in mendo arguendo usus sis, considerandumque non solum, quid respuat locus, sed quid desideret ad eum sententiæ et argumenti tenorem, cuius vestigia supersint et qui præcedentibus subsequentibusque apte adiungatur, continuandum et absolvendum, ad grammaticam orationis structuram eam, quæ ex iis, quæ integra manserunt, pelluceat et emineat, persequendam, ad formam rhetoricam, quæ in contrarie relatis, in adscensu aut alio modo appareat, perficiendam, ad verborum colorem imaginumve seriem, quam proxima habeant, conservandam, atque hæc omnia cum codicum vestigiis nudatis et accurate inspectis conferenda, apud poëtas adhibita versus lege et certo fine. Efficietur enim sæpe simile aliquid prorsus mathematicorum formulis, cum in iis, quas æquationes appellant, quæritur, quid unum condicionibus undique constitutis respondeat; quomodo olim (opusc. academ. I p. 486) in Ciceronis oratione pro Sestio 104 ostendi in litteris malexatur necessario subesse præsens indicativi tempus verbi deponentis primæ coniugationis in xor exeuntis, studium et amorem significantis; id esse amplexatur. Sed hoc interest, quod apud nos neque tam certis terminis notisque circumscribi id, quod quæritur, potest neque, ut præsto sit, necessario cogi, quod apud illos fit, si recte constituta æquatio est. Nam sæpe animus aut non in rectam partem quærendo intenditur aut incidit, aut memoria criticus defi-

citur in iis, quæ olim legit cognovitque, aut omnino rem a scriptore significatam aut verbum ab illo positum orationisve formam ignorat. Velut in illo, quem paulo ante tractavimus, Platonis ex Theæteto loco cum, ubi ταυ scriptum exstaret, adiectivum neutri generis requiri intellexissem, ipsæ litteræ omnes servatæ fecerunt, ut ipsum adiectivum, de quo antea me nunquam cogitasse fateor, invenirem aut potius agnoscerem; si prima littera mutata fuisset, non invenissem. Quid, si Hesychius id non annotasset? Quid, si subest alicubi nomen loci, hominis, rei non solum nunquam tibi lectum, sed omnino nusquam apud eos, qui supersunt, scriptores positum? Itaque ad menda non prorsus vulgaria et facilia varii generis corrigenda et rerum et sermonis scientia opus est ampla et accurata et præterea (quo maxime bonus coniector censetur) libero quodam et celeri mentis motu in rerum verborumque copia certa acie lustranda et ad extremum recto subtilique, quid cuique conveniat, quid non conveniat, sensu iudicioque; adiungendaque illa etiam, de qua superiore capite disputavimus, quid accidere potuerit accidisseque probabile sit, intellegentia; nam et ad inveniendam emendationem prodest de erroris origine cogitare et ad confirmandam magnam habet vim mendi causam et genus probabiliter demonstrare. Atque hoc totum, quod de indiciis notisque, ad quas emendatio dirigenda sit, inveniendis, componendis sequendisque breviter diximus, quale sit, age, hic paucis ex utriusque linguæ scriptoribus exemplis declaretur; nam et ex superiore capite permulta huc transferri possunt et plurima per reliquos libros spargentur. Apud Platonem r. p. X p. 608 A Socrates se et Glauconem ait poëticam suam causam agentem benevole quidem audituros, sed tamen caute et ut sibi ad arcendam fraudem carmen accinant: *ἕως δ' ἂν μὴ οἵα τ' ᾖ ἀπολογήσασθαι, ἀκροασόμεθ' αὐτῆς ἐπᾴδοντες ἡμῖν αὐτοῖς τοῦτον τὸν λόγον, ὃν ἐλέγομεν, καὶ ταύτην τὴν ἐπῳδήν, εὐλαβούμενοι πάλιν ἐμπεσεῖν εἰς τὸν παιδικόν τε καὶ τὸν τῶν πολλῶν ἔρωτα· αἰσθόμεθα δ' οὖν,*

ὡς οὐ σπουδαστέον ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ ποιήσει ὡς ἀληθείας τε ἁπτομένῃ καὶ σπουδαίᾳ, ἀλλ' εὐλαβητέον αὐτὴν κ. τ. λ. In his αἰσθόμεθα vitiosum esse neque quemquam Græcum nisi multis post Christum natum sæculis αἴσθομαι præsenti tempore dixisse, non exsequar post Stallbaumium; id addam, non minus pravum esse, quod ipse sine ulla probabilitate substituit, αἰσθανόμεθα (quod quis in illud mutasset?). Nam neque præsenti verbi tempori neque animadvertendi et sentiendi significationi (quæ sola est in αἰσθάνομαι, non iudicii et sententiæ) ullus est locus. Apertum est, si quid unquam, his verbis: ὡς οὐ σπουδαστέον κ. τ. λ. contineri id ipsum, quod sibi Socrates et Glauco cavendi causa, ne decipiantur, insusurraturi sint, particulisque δ' οὖν verbo subiectis adiungi certiorem illius, quod proximis illis ἐπᾴδοντες ἡμῖν αὐτοῖς . . . καὶ εὐλαβούμενοι significatum erat, declarationem, eodem verbi tempore conceptam, quod per totum locum servatum est (ἀκουσόμεθα . . . κερδανοῦμεν . . . ἐσόμεθα . . . ἀκροασόμεθα). Itaque hac demum, quid facturi sint, declaratione absoluta Glauco respondet, ita prorsus esse se facturos (Παντάπασιν, ἦ δ' ὅς, ξύμφημι. Futurum requiri senserant, qui in uno et altero codice recenti εἰσόμεθα substituerunt, et Schleiermacherus). Latet igitur in illo αἰσθόμεθα futurum mediæ formæ verbi ab ἐπῳδῆς significatione non remotum. Id autem nisi unum esse nequit facillimeque eruetur: ᾄσόμεθα δ' οὖν, canemus autem (erit autem carmen illud et admonitio huiusmodi, non esse operam dandam cet.). Cum iota adscriberetur (ΑΙΣΟΜΕΘΑ), syllaba αἰσ subiecit litteram θ, ut αἰσθόμεθα esset. Alterum exemplum Euripidis sit ex Heraclidis, ubi v. 892 sqq. chorus, cognita ex servo meliore Alcmenæ Herculisque liberorum fortuna, quam sit hoc suave, amicorum, qui antea minus bona fortuna usi sint, sortem in melius mutatam videre, aliarum rerum alioquin suavium comparatione extollit:

Ἐμοὶ χορὸς μὲν ἡδύς, εἰ λίγεια
Λωτοῦ χάρις ἐνὶ δαιτί,
Εἴη δ' εὔχαρις Ἀφροδίτα·
Τερπνὸν δέ τι καὶ φίλων ἄρ' εὐτυχίαν ἰδέσθαι
Τῶν πάρος οὐ δοκούντων.

Manifestum est inter comparationem lætæ ad tibiam in convivio saltationis et mutatæ in melius amicorum fortunæ prorsus prave interponi votum de gratia Veneris, idque ipsum male verbis conceptum esse; neque enim usquam *εὔχαρις* propitius est, sed gratus et iucundus, quod pro epitheto recte adiungitur Veneri, pessime, ut talis sit, optatur. Ne id quidem obscurum est, comparationem illam duarum rerum nimis brevem esse postularique ad sententiam explendam progressum aliquem per duo membra, antequam ad summum veniatur (ut in noto illo eiusdem figuræ exemplo: amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas). Itaque Venerem quoque amabilem (*εὔχαριν*) sibi gratam esse chorus dicit, inestque in illo *εἴη δ'* adiectivum feminini generis (ad Venerem relatum), quod respondeat præcedenti *ἡδύς*, sequenti *τερπνόν*. Id autem ipsum illud esse *ἡδύς* et litteræ demonstrant et orationis figura:

Ἐμοὶ χορὸς μὲν ἡδύς, εἰ λίγεια
Λωτοῦ χάρις ἐνὶ δαιτί,
Ἥδεῖα δ' εὔχαρις Ἀφροδίτα·
Τερπνὸν δέ τι κ. τ. λ.[1]).

Apud eundem poëtam Hecuba in fabula cognomini postquam se Polyxenæ mortuæ funebre aliquod munus et ornamentum daturam dixit, non iam dignum, sed quale nunc apud cives captivas reperire possit, si qua pretiosi aliquid celet, renovata memoria pristinarum opum, v. 619 sqq. sic loquitur:

Ὦ σχήματ' οἴκων, ὥ ποτ' εὐτυχεῖς δόμοι,
Ὦ πλεῖστ' ἔχων κάλλιστά τ' εὐτεκνώτατε

[1]) Hunc locum emendavi in annal. philol. Danicis V, 14 et 157.

Πρίαμε, γεραιά θ' ἥδ' ἐγὼ μήτηρ τέκνων,
Ὡς εἰς τὸ μηδὲν ἤκομεν, φρονήματος
Τοῦ πρὶν στερέντες.

Perapte ad rem, quæ agitur et unde hæc conquestio oritur, multarum rerum possessio in Priamo commemoratur (*ὦ πλεῖστ' ἔχων*), nisi quod præter multitudinem pretii et magnificentiæ significationem requirimus; contra Priami in liberis fortunæ minime apte hic mentio fit (— longe aliter se ipsam matrem miseratur —), idque orationis forma non Græca; nam quanquam superlativo interdum apud poëtas additur superlativus adverbii gradum significantis (*πλεῖστον ἔχθιστος, μέγιστον ἐχθίστη* Med. 1323), nemo tamen unquam superlativum adverbii laudem significantis superlativo addidit (*κάλλιστα εὐτεκνώτατος*); ne positivi quidem gradus adiectivo ex *εὖ* composito recte adiungeretur *καλῶς* simileve adverbium (*καλῶς εὔτεκνος*). Iam in codice optimo et fide dignissimo (Veneto) non, ut editur, scribitur, sed

Ὦ πλεῖστ' ἔχων κάλλιστα κ' εὐτεκνώτατε.

Manifestum est igitur, Priamum dici habuisse plurima (*πλεῖστα*) pulcherrima (*κάλλιστα*) et huic laudi aliam adiunctam (*καί*) latere in *εὐτεκνώτατε*. In ea laude *τέκνων* nomen nihil agit, plurimum *τῆς τέχνης*. Scripserat igitur Euripides *κάλλιστα κεὐτεχνώτατα*, pulcherrima et egregia arte facta. Nam *εὔτεχνος* et de homine artis perito et de re arte facta dici recte poterat, ut *εὐτυχής* et alia[1]). Redeamus ad prosæ orationis scriptores Platonique Xenophontem adiungamus, apud quem Hellenic. I, 2, 1 hæc scribuntur: *Θράσυλλος δὲ τά τε ψηφισθέντα πλοῖα λαβὼν καὶ πεντακισχιλίους τῶν ναυτῶν πελταστὰς ποιησάμενος ὡς ἅμα καὶ πελτασταῖς ἑσομένοις ἐξέπλευσεν ἀρχομένου τοῦ θέρους εἰς Σάμον.* Apparet, qualia nunc cetera sunt, verba *ὡς ἅμα...ἑσομένοις*, etiamsi pro

[1]) Huius quoque loci emendatio ibidem posita p. 13 et 157.

dativo violenter accusativum posueris (*πελταστὰς ἐσομένους*), tamen incredibiliter vitiose abundare (peltastas enim fecisse nautas Thrasyllus dicitur, ut simul peltastæ essent); itaque editores e textu circumscribenda putant, quis tam nulla causa tam perversa forma addiderit, non curantes, nec vident se barbariem manifestam relinquere, *ποιησάμενος* pro *ποιήσας*. Quoniam igitur *ποιεῖσθαι* est faciendum aliquid curare, requiritur rei, quam Thrasyllus faciendam curaverit, significatio, apparetque non nautas factos dici, sed aliquid nautis paratum, ut simul peltastæ essent; recte enim iam dativo (*πεντακισχιλίοις*) dativus adiunctus erit; paratum est autem nihil nisi ipsæ peltæ, scripsitque Xenophon: *πεντακισχιλίοις τῶν ναυτῶν πέλτας ποιησάμενος ὡς ἅμα καὶ πελτασταῖς ἐσομένοις*. Antiquis et Atticis scriptoribus unum saltem adiungamus in hac exemplorum serie inferioris ætatis, Lucianum, in cuius Toxari 60 de homine certamen ineunte sic scribitur: *Ὁ δὲ λαβὼν τὰ ὅπλα τὰ μὲν ἄλλα περιεδήσατο, τὸ κράνος δ' οὐκ ἐπέθηκεν, ἀλλ' ἀπὸ γυμνῆς τῆς κεφαλῆς καταστὰς ἐμάχετο*. Græcum est de galea sibi imponenda *ἐπέθετο*, non *ἐπέθηκεν*, nec ulla significatur, cur non galeam quoque sumpserit, causa. Sed codices non *οὐκ ἐπέθηκεν*, sed *οὐ κατέθηκεν* habent. Nihil hinc effici potest, quod hominis actionem apte significet, sed efficitur facile, quod de ipsa galea dicatur ostendatque, cur ea homo usus non sit; scriptum enim fuerat: *τὸ κράνος δὲ οὐ καθῆκεν*, galea (capiti) non conveniebat. Pro minus triti verbi imperfecto subiectus est aoristus notissimus. *Καθήκειν* eodem modo Polybius dixit III, 78 (*τὰς ἐσθῆτας τὰς καθηκούσας ταῖς περιθεταῖς*) et alii. Apud eundem in navig. 27 hæc leguntur: *Ἐῶ λέγειν, ὅσας ἐπιβουλὰς μετὰ τοῦ πλούτου καὶ λῃστὰς καὶ φθόνον καὶ μῖσος παρὰ τῶν πολλῶν*. Non obscurum est, inepte inter insidias et invidiam odiumque medios interponi latrones nec orationem verbo ullo modo carere

posse, cui accusativi adhæreant. In codicibus scribitur non καὶ λῃστάς, sed ἢ λῃστάς. Certum est igitur, in his litteris verbum latere secundæ personæ (nam alloquitur Lycinus eum, qui dives factus fingitur) et perfecti temporis; nec litteræ dubitare sinunt, quin activæ formæ fuerit. Scribendum est igitur εἴληχας. Nam id potius quam εἴληφας corruptum puto. Postremo veteris et præstantissimi scriptoris, Thucydidis, locus, argumentis ex sententiæ forma ductis liberetur mendo non in litterarum vocisve commutatione posito. Nam III, 38, 2 Cleon, Athenienses ad supplicium de Mytilenæis sumendum exhortans, mirari se ait, quis contendere ausurus sit (ὅστις ἔσται ὁ ἀξιώσων ἀποφαίνειν), τὰς μὲν τῶν Μυτιληναίων ἀδικίας ἡμῖν ὠφελίμους οὔσας, τὰς δ' ἡμετέρας ξυμφορὰς τοῖς ξυμμάχοις βλάβας καθισταμένας. Apparet significari sententiam absurdam et sibi contrariam nec ab utraque parte idem statuentem. Verum priori membro (Mytilenæorum iniurias utiles Atheniensibus esse) prorsus non contrarium est alterum (Atheniensium calamitates damnosas esse sociis), omninoque hæc duo inter se nihil habent commune nec calamitates Atheniensium earumque ad socios effectus quicquam ad totam hanc comparationem pertinent. (Itaque nihil agunt, qui οὐκ addunt.) Quod autem Kruegerus τὰ δὲ ἡμέτερα ξύμφορα scripsit, ut mutationem ipsam non valde probabilem esse taceam, ne sic quidem repugnantia illa, quæ inesse debet, apparet nec, quid Atheniensium commoda hic agant. Omnino omnis comparatio constitui et repugnantia ostendi in una re debet, ταῖς ἀδικίαις. Sic enim Cleon ratiocinatur, si qui persuadere conentur, Mytilenæorum iniurias etiam utiles esse Atheniensibus, idem æstimandum esse de Atheniensium iniuriis, ut non nocere sociis, sed utiles iis esse putandæ sint. Itaque inter se contraria sunt τῶν Μυτιληναίων ἀδικίας et τὰς ἡμετέρας (ἀδικίας), ἡμῖν et τοῖς ξυμμάχοις, οὔσας et καθισταμένας, quem autem in priore membro locum

tenet ὠφελίμους, in altero tenere debet vox contrariæ significationis; quæ quoniam duplex est, ξυμφορὰς et βλαβάς (nam substantivo hic pro adiectivo Thucydides usus est), manifestum est, alteram additam interpolando esse; nec obscurum est, et per se βλαβάς, quod vulgarius est, facilius quam ξυμφορὰς addi potuisse et omnem errorem natum esse ex eo, quod, cum ξυμφορὰς cum ἡμετέρας prave coniunctum esset et pro subiecto habitum, prædicatum desideraretur. Itaque sic scribendum est: τὰς δὲ ἡμετέρας ξυμφορὰς τοῖς ξυμμάχοις καθισταμένας[1]). Eadem, quam hæc exempla monstrant, via alias mendorum formas, ut lacunas ex simili verbo bis posito ortas, deprehendi et corrigi, si suis et propriis exemplis declarari opus est, sumi ea possunt ex primo capite, ubi de iis mendorum generibus dictum est. Itaque Græca hæc sufficiant; transeamus ad Latina. Eorum primum dabit Valerius Maximus, apud quem III, 2 E. 5 de Epaminonda moriente hæc leguntur: e corpore deinde suo hastam educi iussit eoque vulnere expiravit, quo (sic codex B; interpolati quod), si eum di immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes patriæ mœnia intrasset. A sententia aberrarunt nuper Fœrtschius et Halmius, qui sic scripserunt: expiravit. Quid, si... passi essent et sospes... intrasset? Hoc enim sic interrogatur, quasi expirandi verbo magnæ alicuius rei effectio significata sit, qua etiam maiora effecturus Epaminondas fuerit, si vixisset. Rectius Perizonius sensit, inepte hic, postquam multis verbis narratum sit, quid Epaminondas vulneratus fecerit dixeritque, vulneris nomen poni (eoque vulnere, quasi hasta e vulnere educta ipsa vulnus sit). Manifestum est ex tota orationis forma (eo . . . quo, si . . . passi essent, . . . intrasset), hoc dici, Epaminondam in ipsa morte aliquid habuisse idem, quod, si di sissent, habiturus fuerit lætissimo

[1]) Hoc posui in annal. philol. Danicis I p. 41 et 174.

et gloriosissimo die, et hoc tanquam præclarum commemorari. Eius rei nomen latet (si latere iam dici potest) sub illo vulnere; non potest autem nisi unum esse. Nam Epaminondas, victoriam et patriæ gloriam suæ vitæ præferens, eo **vultu** expiravit, quo, si eum di immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes patriæ mœnia intrasset. Vulneris prægressa mentio librarii animo ex tribus primis litteris nominis (vul) alterum illud obiecit. Ovidius in a. a. III, 440 feminas, ut suis consiliis et monitis credant, hortans, interponit in transcursu exemplum admonitionum et consiliorum cum magna calamitate spretorum, his, si editionibus credimus, verbis:

Vix mihi credetis; sed credite! Troia maneret,
præceptis Priami si foret usa sui.

Ut omittam inepte suum Priamum dici, nihil Priamus dixisse narrabatur et præcepisse, cui si Troiani obedissent, urbs mansisset; neque codices boni (velut antiquissimus Parisinus) id habent, quod editur, sed Priame, quod versus non recipit, et tuis. Apparet tamen, Ovidium spretum illum monitorem vocativo casu appellasse. Reperiendus est igitur pro Priame vocativus versum explens et aptam personam appellans. Apta est autem una Cassandra, dei iussu non unquam credita Teucris (Verg. Æn. II, 247). Scripserat igitur Ovidius:

præceptis, Priamei, si foret usa tuis;

vocativi autem duas extremas vocales in unam syllabam contraxit, ut fit in Pompei apud Horatium, in rei, aliis[1]). Idem poëta epistola VII Dido inducit ad Æneam a discessu deterrendum describentem, quam sensurus sit, si in mari cum tempestatibus conflictetur, pœnitentiam; is locus sic concluditur (v. 71 sq.):

Quid tanti est totum merui concedite dicas
quæque cadent, in te fulmina missa putes?

[1]) De hoc quoque loco dixi in annal. philol. Danic. V p. 22 et 159.

Sic enim Merkelius edidit, apposita, ut par erat, priori versui mendi nota, in quo tamen vetustissimus codex tutum habet, non totum. Apparet, hoc dici, non committendum esse Æneæ (non esse tanti), ut, cum illud advenerit tempus, se ipse accuset (merui) et, ceteris remotis (concedite, hoc est, discedite et mihi locum date), pœnæ offerat; efficiendum est igitur, ut dicas et putes recte cum quid tanti est coniungantur, fortasse etiam, ut temporis illius futuri significatio aliqua sit. Id efficiet et locum sanabit ut pro tu in antiquissimi codicis scriptura substitutum (et præcedit t):

Quid tanti est, ut **tum**, Merui, concedite, dicas,
quæque cadent, in te fulmina missa putes?

Apud Senecam in Hercule tragœdia, ubi Theseus describit Herculem ad Cerberum, quem in vincla petebat, accedentem, hæc leguntur (795 sqq.):

Ut propior stetit
Iove natus, antro sedit incertus canis,
et uterque timuit; ecce latratu gravi
loca muta terret, sibilat totos minax
serpens per armos.

Neque per se ullo modo Iove natum hic timor (non brevis momenti hæsitatio) decet, et manifestum est ex iis, quæ subiiciuntur, perverse hic Herculem interponi, cum omnia pertineant ad Cerberum primum paulisper perculsum, deinde animos resumentem; sed ne Cerberum quidem illud tam simpliciter positum timuit decet nec convenit cum eo, quod præcedit, sedit incertus. Itaque pravum est uterque et pro eo aliquid efficiendum est, quo adiuncto timuit de solo Cerbero etiam aptius dicatur. Id erit hoc:

antro sedit incertus canis
Leviterque timuit.

Ex leuiter factum est et uter.

Redeamus ad prosam orationem et in nobili scriptore cœptam ab aliis emendationem absolvamus et stabiliamus.

Nam apud Tacitum annal. XIV, 20, ubi eorum exponitur sententia et oratio, qui pollui scena proceres Romanos equestremque ordinem ægre ferebant, hæc leguntur in codice Mediceo: Quid superesse, nisi ut corpora nudent et cestus adsumant easque pugnas pro militia et armis meditentur. An iustitia augurii et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? Apparet augurium illud alienissimum esse, nec minus manifestum est, quod Lipsius intellexit, duo esse membra interrogationis, suum quodque subiectum et infinitivum habens; itaque recte in augurii subesse augendi verbum sensit; si acrius attendisset, sensisset etiam et propter expleturos et propter audissent (quod futuro exacto rectæ orationis respondet) et propter sententiam (— quæritur enim, quam utilitatem res nova habitura sit, —) requiri futurum infinitivi tempus idque multo propius ad litterarum vestigia accedere; scripsit igitur Tacitus: an iustitiā auctū iri; (utor ea scribendi ratione, e qua in rariore præsertim verbi forma mendum ortum est; nam alibi quoque hic infinitivus passivus depravatus est)[1]). Sed, ut omittam quærere, expleturos ferrine possit an, quod arbitror, restituendum sit expleturas, modo intellegatur hanc dubitationem ad reliquam loci formam nihil omnino pertinere, restat tamen aliud; nam ut ex expleturos ad auctum iri perventum est, sic et ex auctum iri et ex tota sententiæ forma apparet, non interrogari, expleturine sint equites iudicandi munus, sed meliusne, quam hactenus, id expleturi sint hac canendi peritia adiecta. Nec muneris laus (egregium) hoc loco aut apta est aut recto vocabulo significata; nam egregie expleri iudicandi munus potest, ipsum egregium non est, sed honestum, utile, summæ dignitatis. Nimirum Tacitus, ut

[1]) Cic. de divin. II, 18 codd. inventurum pro inventum iri.

Juvenalis XI, 12, egregius comparativo gradu adverbium posuit. (Egregior Lucretium dixisse notum est; vid. Nevii Lateinische Formenlehre II p. 81.) Tacito adiungatur Seneca, qui epist. 26, 8 debitam Lucilio ex promisso in unaquaque epistola acutam et bonam superioris alicuius philosophi vocem, quas posthac se a Stoicis sumpturum dicit, ab Epicuro sumens sic scribit, si codices sequimur: Interim commodabit Epicurus, qui ait: Meditare mortem vel, si commodius sit, transire ad nos. Hic patet sensus. Egregia res est mortem condiscere; Haasius transire ad divos posuit, Epicurum ex atheo et acerrimo immortalitatis animorum adversario, qui fuit, prope Christianum efficiens; nam veteres, qui animos post mortem manere censebant, ad divos tamen transire non dicebant, nisi qui, ut Hercules et Liber pater imperatoresque Romani, deis adscriberentur. Sed tamen, si hæc pars est Epicuri sententiæ, ad nos sensum non habere, manifestum est; nec ullus omnino transitus cum mortis meditatione coniungi potest. Ridiculum etiam in gravi de summa re præcepto illud: si commodius sit, solœcum præterea in sit pro est. Nihilo melius illa perspicuitatis sententiæ laus (sic enim accipi debet, etsi inusitate dicitur): Hic patet sensus interponitur ante novam eiusdem sententiæ interpretationem. Ne illa quidem recta est substantivi et infinitivi in sententia breviter ponenda coniunctio: Meditare mortem vel . . . transire. Sed nihil opus est plura accusandi causa dicere; illud dicamus, inter duas eiusdem sententiæ formas: Meditare mortem et Egregia res est m. c. nihil per illas voces vel, si commodius sit, interponi posse, nisi quod ad interpretationis utriusque comparationem pertineat, et illa transire ad nos ipsam translationem Græcæ sententiæ ad Romanos significare. Forma orationis qualis fuerit, ipse ostendit Seneca epist. 23, 9, in eadem duplicis interpretationis comparatione sic scribens: Molestum est semper vitam inchoare,

aut, si hoc modo magis sensus potest exprimi: Male vivunt, qui semper vivere incipiunt, et 97, 13 (aut, si hoc modo melius hunc explicari posse iudicas sensum). His indiciis et certis condicionum terminis hæc omni ex parte respondet scriptura: vel, si commodius **sic** transire ad nos hic **potest** sensus: Egregia cet. Tres litteræ mutandæ fuerunt[1]). Sed in hoc loco exemplorum series desinat, modo adiecerimus, optime in eo intellegi posse, quid ad emendationem et inveniendam et confirmandam conferant similes eorundem aliorumve scriptorum loci ex propinquo memoriæ occurrentes et animum in rectam viam inducentes.

Verum, ut dixi, sæpe res aut vox indiciis monstrata, etiamsi non ignota quærenti est, tamen non recto tempore præsto est; itaque etiam aliqua in eo fortuna est, ut interdum, quod quæras, recens aliqua lectio et memoria suggerat, interdum, quod frustra quæsieris, paulo post casus aliquis obiiciat. Velut cum apud Plutarchum in libello, quo cum principibus viris philosopho esse disserendum disputat (*περὶ τοῦ, ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι κ. τ. λ.*) hæc legerem c. 2, 5 (p. 777 D): *Οὐ γὰρ ἡ μὲν Ἀφροδίτη ταῖς τοῦ προσπόλου θυγατράσιν ἐμήνιεν, ὅτι πρῶται μίσεα μηχανήσαντο καταχέειν νεανίσκων, ἡ δ' Οὐρανία καὶ Καλλιόπη*

[1]) Hoc quoque ex annal. philol. Danicis I p. 43 et 174. Animadverti velim speciminis et admonitionis causa Fickerti de hoc loco iudicium. Patientissimus enim omnium solœcismorum et inanissimarum nugarum homo hic subito, postquam constantem omnium bonorum et tolerabilium codicum scripturam magis inquinavit fœdissimo recentissimorum aliquot codicum interpretandi conatu, qui post ad nos addunt vel nos ad eam, omnia hæc vel si commodius — ad eam tolli vult tanquam, „si non ab Epicuro, tamen a Seneca aliena". (In Epicuri sententia ferri tamen oportebat, quæ ab Epicuro non aliena essent.) Sed talia sunt infinita, quæ difficile est condonare diligentiæ in codicum scripturis colligendis et edendis.

καὶ ἡ Κλειὼ χαίρουσι τοῖς ἐπ᾽ ἀργυρίῳ διατιθεμένοις τὸν λόγον (sic Wyttenbachius pro ἐν ἀργ. διαδεχομένοις τ. λ.), cum hæc, inquam, legerem, intellexi annotavique, non προόσπολον nescio quem a Plutarcho iram Veneris subisse dici, sed hominem ex fabulis notum, cuius filiæ traderentur primæ corpore quæstum fecisse; sed is quis esset, non reperiebam. Ecce anno post cum Ovidii metamorphoses legens in libro X ad hos versus pervenissem (238 sqq.):

Sunt tamen obscænæ Venerem Propœtides ausæ
esse negare deam; pro quo sua, numinis ira,
corpora cum forma primæ vulgasse feruntur,

renovata Plutarchi memoria, facile erat videre, apud eum scribendum esse ταῖς τοῦ Πρωποίτου θυγατράσιν, quanquam, ut fit in talibus fabulis, apud Ovidium Venus ipsa pœnæ causa Propœtidas ad corpus vulgandum impulisse dicitur, apud Plutarchum ob vulgatum corpus iis succensuisse[1]). Si Ovidius nomen non posuisset, incerta in Plutarchi loco hæreret suspicio; neque enim alibi fabulæ memoriam superesse puto; ne nomen quidem ipsum in alio homine reperio. Non nomen, sed verbum certæ formæ subesse persuasum mihi est apud Xenophontem Cyropæd. II, 2, 11, nec tamen reperio. Nam huic per interrogandi figuram affirmationi: Τί δ᾽ἄλλο γε, ἔφη, εἰ μὴ γέλωτα ποιεῖν ἐθέλοντες; ignave prorsus relativo pronomine idem adiungitur: ὑπὲρ οὗ λέγουσι ταῦτα καὶ ἀλαζονεύονται. Sub tribus illis ὑπὲρ οὗ λέγουσι unum latet verbum significatione cum ἀλαζονεύεσθαι cognatum, ut hæc sit sententiæ forma: Τί δ᾽ἄλλο γε, ἔφη, εἰ μὴ γέλωτα ποιεῖν ἐθέλοντες [τερατολογοῦσι] ταῦτα καὶ ἀλαζονεύονται; Sed ipsum τερατολογοῦσι maius videtur quam pro re et paulo longius

[1]) Subesse apud Plutarchum poëtæ versum, satis patet; sed eum editores iusto longiorem faciunt: πρῶται . . . νεανίσκων, nec ipse choliambum expedio. Parum quoque ad rem significandam aptum videtur μίσεα καταχέειν νεανίσκων.

litteris discedit nec antiquiorem meteorologicis Aristoteliis auctoritatem habet; quod ad sententiam aptius esset et ad litteras propius, ἀπειρολογοῦσι, non reperitur apud scriptores, ἀπειρολογία tantum e Sexto Empirico annotatur.

Atque hæc, quam adumbravi, coniecturæ ratio est, ubi in codicum vestigiis aut firmis aut non nimis lubricis constitui potest et sententiæ tenore perspicuo sermonisque genere noto et certo regitur. Ubi aut nulli sunt nisi recentes et leves codices aut ubi etiam per vetustiores codices (ut in Cæsaris belli civilis libris, in prima quidem libri primi parte pæne incredibiliter,) magna et ex scripturæ antiquioris ignoratione depravatio et interpolatio pervasit, quo magis coniectura opus est, eo fere minus efficere ea potest. Ubi vero ad incertam codicum fidem etiam alia accedunt impedimenta, velut ex sermonis parum exemplorum copia firmati audacia et insolentia, et librariis ad errandum opportuna et nobis ad iudicandum difficili, et ex turbata in carminibus versuum forma, dubitandi amplissima est materia, plane coargui pauciora possunt, correctionis vero certa fides etiam rarior est, ut cohibere conatum et dubitationem aut etiam mendum certum relinquere quam periculose ludere præstet, velut sæpe in Æschyli tragœdiis, etsi minime æqualiter in omnibus. In aliis facilioris generis scriptoribus multis locis per menda ad speciem gravissima et summam litterarum perturbationem pellucet tamen, præsertim si rudi tantum tegumento obducta vulnera nec alio longe detorta sunt, ita certa sententiæ progressio et verborum rem necessario sequentium forma, ut verum et inveniri et invento confidi possit. Quid potest enim fœdius corruptum esse hoc Plutarchi in quæstt. conviv. IV, 5, 3, 1 loco, ubi ratio redditur, cur leporum carne Iudæi abstineant: *Οὐ δ[ῆτα, ἔφη] ὁ Λαμπρίας ὑπολαβών, ἀλλὰ τοῦ μὲν λαγωοῦ [ἀπέχον]ται διὰ τὴν πρὸς τὸν μένον ὑπ᾽ αὐτῶν μυ***στα θηρίον ἐμφέστατον. Ὁ γὰρ λαγὼς μεγέθους ἔοικε καὶ τάχους ἐν δεινοῖς εἶναι· καὶ γὰρ ἡ χρόα καὶ τὰ ὦτα καὶ τῶν*

ὀμμάτων ἡ λιπαρότης καὶ τὸ ἁλμυρὸν ἔοικε θαυμασίως· ὥστε μηδὲν οὕτω μηδὲ μικρὸν μεγάλῳ τὴν μορφὴν ὅμοιον γεγονέναι. Et tamen iam Xylander (in interpretatione Latina) intellexit cum asino comparari leporem, nisi quod odio Iudæis asinum fuisse dici putavit; nam et communis antiquorum opinio fuit (vid. Tacit. hist. V, 4 et qui ibi citantur), in honore apud Iudæos esse asinum, et id apud ipsum Plutarchum paucis versibus ante significatur (c. 2, 10); verba autem scribenda sic sunt: ἀπέχονται διὰ τὴν πρὸς τὸ τιμώμενον ὑπ' αὐτῶν μάλιστα θηρίον ἐμφέρειαν, τὸν ὄνον. Ὁ γὰρ λαγὼς μεγέθους ἔοικε καὶ πάχους ἐνδεὴς ὄνος εἶναι (asinus magnitudine et mole corporis carens)· καὶ γὰρ ἡ χρόα....καὶ τῶν ὀμμάτων ἡ λιπαρότης καὶ τὸ γλαμυρὸν ἔοικε θαυμασίως· ὥστε μηδὲν οὕτω μικρὸν μεγάλῳ τὴν μορφὴν ὅμοιον γεγονέναι (omisso μηδέ: ut nihil ita, parvum magno, simile sit). Contra apud Senecam quæstt. nat. V, 10, ubi exponitur eorum de etesiarum causa sententia, qui putabant ideo inde a solstitio flare, quod sole ad septentrionem appropinquante nives et terra in hac parte mundi plus humidi exhalarent, ut plura ex septentrionali parte cœli corpora exirent et in loca tepidiora (meridiana) deferrentur, post Caniculæ ortum desinere, quod vis illa solis iam defecisset, § 4 hæc verba, quæ ad alteram sententiæ partem pertinent: ac sol mutato cursu in nostra rectior tendit, externam habent sanitatis speciem, propius inspecta non solum in comparativo (rectior) et in tota hac significatione rectæ viæ (quæ a sole alienissima est) convincuntur, sed, quod caput est, manifesto contrariam ei, quod dici debet, sententiam habent et rerum naturæ repugnant. Neque enim sol aut inde a solstitio aut inde a Caniculæ ortu mutato cursu in nostra tendit, sed, cum usque ad solstitium ad nos appropinquavit, cuius appropinquationis effectus (illorum hominum opinione) proxime demum post solstitium sentitur, ab eo tempore retro ad meridiem versus

cedit, ut post Caniculæ ortum, exhausto effectu prioris appropinquationis, etesiæ desinant. Scripserat Seneca: ultra ortum Caniculæ non valent, quia iam multum e frigida cœli parte in hanc (submissiorem ac tepidiorem) coniectum est ac sol, mutato cursu, **in austrum retro** tendit et alteram partem aëris (meridianam) attrahit, **illam** vero impellit (contrariam, septentrionalem; male codd. et edd. aliam, quod Kœler pravum esse intellexit, sed alteram substitui voluit). Sed ne hic quidem teste veritas prorsus caret; nam codex Bambergensis, omnium optimus, non habet in nostra, sed in ar'a.

Omnia in coniectura sic rettuli ad codicum vestigia, ut, etiamsi plane aliud vocabulum, ac scriptor posuisset, vocabulave vel in antiquissimis codicibus substituta essent, tamen, si aliquam interpolatio similitudinem secuta esset reliquissetque, verum reperiri argumentisque stabiliri posse dicerem, ubi prorsus nihil ex vera forma in codicibus restaret, nihil coniectura effici nec, quamvis suspicionis iusta causa appareret aut certum esset, scriptorem aliud posuisse, auxilium, quo quidem ad veram emendationem deduceremur, ullum esse nisi in testimonio casu aliunde (in scholiis aut apud grammaticos aliosve scriptores) oblato. Sed oritur, ecce, Gu. Dindorfius, qui (in præfat. edit. quintæ poëtarum scenicorum p. III col. 2) hanc, quæ codicum vestigiis insistat, emendationem non sufficere disputat et „sæpe nihil prodesse locis gravius corruptis, ubi librarii, quæ in exemplaribus antiquioribus, unde codices superstites originem ducant, situ et vetustate aliisque casibus obscurata vel oblitterata essent, utcunque instaurare conati sint, et prorsus absurde adhiberi corrigendis non paucis interpolatorum commentis, qui multis ante nostros codices seculis plurima, quæ corrupta essent vel quacunque de causa displicerent, ita ad arbitrium suum conformarint, ut litterarum similitudinem, quam hodierni critici consectari

soleant, nihili facientes sua ipsorum inventa vel traditæ in codicibus scripturæ substituerent vel, quod non raro factum esse noverimus, locis defectis, quos redintegrare conarentur, inferrent." Addit deinde alia de „interpolatione ab histrionibus aliisque veteribus versificatoribus" profecta. Hæc ego omnia hoc loco, ubi mea exponere, non aliena refellere mihi proposui, non copiose argumentando oppugnabo; tantum dicam, esse sane vulnera, quibus tollendis coniectura codicum vestigiis insistens non sufficiat, sed nullam aliam esse, quæ iure et utiliter ei substituatur; nam reliqua illa omnis disputatio ad licentiam et temeritatem ab arte et scientia semotissimam in nostras litteras invehendam et ad perdendos veteres scriptores pertinet. Nam et finguntur licenter illa de interpolatoribus et versificatoribus aut ex tenuibus quibusdam scholiorum annotationibus ultra modum amplificantur et exaggerantur, et manifestum est, si ita illi interpolatores tragicorum fabulas aliave scripta pro arbitrio mutassent, secuissent, auxissent, nihil ad illam labem tollendam et amissa reparanda profuturam esse similem nostræ ætatis hominum, quæ „quacunque de causa displicerent", tollendi et in alia omnia vertendi licentiam. Itaque quæ in historica fide posita sunt, ea, ubi et incorrupta testimonia desunt et indicia ex corruptis verisimiliter ducta, aut relinquenda pro incertis sunt aut sine restitutionis conatu simpliciter damnanda. Si quis sibi privatim et coram aliis fingere, quæ accidere potuerint, vult, non intercedo, modo fingi illa confiteatur nec prorsus improbabilia fingat. Nam mihi quidem, qui (ut hoc utar) pro huiusmodi versu: *δεινῆς δ' ἁπλοίας πνευμάτων τ' οὐ τυγχάνων* (Eurip. Iphig. Taur. 15) hunc substituit: *τυχὼν δ' ἁπλοίας πνευμάτων δεινῶν βίᾳ* (non Dindorfii, sed alius ingeniosi et docti hominis hoc inventum est), non hoc sibi proposuisse videtur, ut versum ab Euripide positum reperiret, sed ut sententiam eandem sua ratione et arte in versum includeret. Revertamur igitur ad coniecturam

testimoniis et testimoniorum vestigiis nixam, addamusque, ut in quærendo vero liber animo cursus in omnes partes permittendus est, sic inter veritatis inventæ notas esse, si animus in uno aliquo ita certus consistat, ut nihil præterea nec anquirat nec accipiat; nam qui inter plures corrigendi vias incerti hærent, fere a vera aliquantum absunt. Boni autem critici est et via ac ratione progredientis et artem habentis scire, quousque processerit, et cum ad verum pervenerit, firmiter id tenere abiectaque instabili suspicione et dubitatione, loco sanato uti et frui. Imperiti homines, qui neque ad reperienda ipsi vera ingenio valent neque ad inventa intellegenda iudicio et scientia, inani quadam velitatione in locis, quos semel corruptos esse decretum est, ludunt nec huius lusus campum sibi certis emendationibus eripi patiuntur, maximeque reluctantur, ubi magnas turbas et quæ multos vexarint, facili remedio et leni prorsus sedari confitendum est (velut in Platonis r. p. X p. 608 A, in Horatii sat. II, 2, 29 et haud paucis ex iis locis, quos superioribus paginis ipse emendavi). Ea vero est præter ceteras palmaris appellanda emendatio, quæ una duabusve litteris mutatis aut transpositis novum sententiæ lumen, novam orationis formam profert et ex dissolutis et perturbatis apta et recta efficit. Artis autem in hoc genere maxime est a sanis abstinere et aliorum proterviam arcere, vera menda certa ratione coarguere, bona ingenii inventa probare et sua sede collocare. Eam artem etsi non præceptis comprehensam quidam naturali quadam prudentia tenuerunt, velut Richardus Porsonus, etsi in uno fere Græcorum scriptorum genere ingenium exercuit, alii, qui magni critici haberi solent, aut ex aliqua parte sæpe eam violarunt, ut Bentleius in mendis arguendis et in suspicione continenda, aut prorsus ea caruerunt, ut G. Hermannus, qui non maximum numerum bonarum emendationum obruit innumerabili inanium et levium opinionum festinanter iactarum multitudine, rursus

non raro, ubi libido aut obtrectatio abripuerat, strenuus pravorum defensor.

Cap. III.

Nomina propria a librariis obscurata et sublata eruuntur, quædam falso posita eiiciuntur.

Antequam ad simplicem scribendi formam, quam mihi extra hunc primum librum proposui, transeo, ut in emendationibus expromendis scriptorum et librorum ordinem sequar, placet hoc loco, quæ in uno genere in scriptis Græcorum et Latinorum emendavi, coniunctim exponere et sub unum conspectum adducere, quod et erroris similitudine et eius demonstrandi tollendique ratione cognata sunt et correctionis evidentia vim quandam singularem persuadendi habent, aptam ad fidem iis, quæ deinceps explicabuntur, præparandam, et quod mendi occultandi rudia initia (maxime in abiiciendis litteris, quæ effecta aliqua verborum specie supererant) in hoc genere sæpe eminent. Dixi enim iam supra, ni fallor, non raro a librariis nomina propria hominum locorumque, quod, in continua præsertim scriptura, ignota et nova oculis animisque occurrerent et sæpe aut tota aut ex parte similitudine aliqua aliarum vocum deciperent, depravata et prorsus obscurata esse, cum ex litteris unius pluriumve vocum species, adhibita fere, cum primum aberratum esset, interpolatione, interdum admodum rudi, efficeretur. Atque huiusmodi menda permulta in utriusque linguæ scriptorum operibus partim iampridem a primis editoribus aut insecutæ ætatis criticis, partim nuper sublata sunt (velut succurrit ex hoc genere nuper apud Thucydidem I, 61, 3 restitutum a Pluygersio *ἐπὶ Στρέψαν* pro *ἐπιστρέψαντες*, apud Xenophontem hist. Græc. III, 2, 30 a L. Dindorfio *Φέας* pro *σφέας* et III, 4, 20 a Gu. Tellio *Ἀδαῖον* pro *ἄλλον* (*ΔΑΙ* pro *ΛΛ*), apud Lucianum Alexand. 57 a Burmeistero *Ἄνειτος* pro *αὐτός*); ipse quoque

unum et alterum in Latinis antea correxi, ut in Ciceronis acad. II, 129 Erilli pro ulli restitui, in epitoma Livii libri LXVII in Vellocassis pro in belli casus (in bellicosis); sed latent etiamnunc satis multa, nec omnia in scriptis, quæ a paucis leguntur, pleraque attente legentibus gravi offensione et sententiæ vitio se prodentia. Ex his non ita pauca et deprehensa a me et emendata (præter Plutarcheum illud, quod paulo ante p. 119 emendavi, Propœtæ nomine restituto) hic ponam; alia quædam interponam, in quibus nomen proprium subesse certum est, ipsum nomen propter rei ignorationem aut reperiri non potest aut dubitationem habet; postremo ostendam, etiam contrarium errorem, quod pæne mirere, accidisse nonnullis locis, ut nomen proprium scriberetur aut acciperetur pro appellativo. Erunt autem ex his locis nonnulli, qui ad rerum historicarum fidem satis notabiles sint. Sed initium faciam a tribus locis, Græcis duobus, Latino uno, in quibus nomen proprium hominis omnibus litteris exstat in codicibus aut etiam editur, sed pro appellativo accipitur. Nam (I) Eupolidis versus in scholiis ad Aristophanis pac. v. 1031 e *Πόλεσιν* comœdia vulgo quidem sic scribuntur: *Ὡς οὖν τίν' ἐλθὼ δῆτά σοι τῶν μάντεων; Πότερος ἀμείνων ἀμφοτέρων, ἢ Στιλβίδης;* Sed in codice Veneto est *ἀμφότερος*. Sic igitur oratio distinguenda, ut duo nominentur et in comparationem veniant vates:

Πότερος ἀμείνων, Ἀμφότερος ἢ Στιλβίδης;

Ἀμφότερος hominis nomen præter eos locos, qui ex Homero, Apollodoro, Arriano in lexicis ponuntur, reperitur apud Plutarchum in apophthegm. regum p. 177 F, ubi Wyttenbachius Curtium appellat III, 3 (1, 19) et IV, 23 (5, 14) et 34 (8, 15), etsi eius loci ad eundem pertinent hominem, qui ab Arriano nominatur[1]).

[1]) Apud Plutarchum pro *Ἑκατεροῦ* nomine e codicibus et Arriano ponendum *Κρατεροῦ*. Craterum Philippus *Ἀμφότερον* esse dicebat,

(II) Apud Plutarchum in Arati c. 6, ubi de Arati consiliis Sicyonis liberandæ exponitur (ex quo loco aliud mendum suo tempore tollam), hæc scribuntur: *Ἐμισθώσατο δὲ καὶ διὰ πρώτου Ξενοφίλου τῶν ἀρχικλώπων οὐ πολλοὺς στρατιώτας.* Cur primum per Xenophilum milites conduxerit (nam hoc significant verba sic posita *διὰ πρώτου Ξ.*, etsi rectum erat *πρῶτον διὰ Ξενοφίλου*), non magis apparet quam, unde genetivus *ἀρχικλώπων* pendeat; quod autem fuerunt, qui scribi vellent *διὰ Ξεν. πρώτου τῶν ἀρχικλώπων*, ut dux latronum significaretur, ne dicam sic *πρῶτος*, omisso præsertim articulo, dici non posse, non *πρῶτος τῶν ἀρχικλώπων* erat Xenophilus, sed *πρῶτος τῶν κλωπῶν*, hoc est *ἀρχίκλωψ*. Apparet præter Xenophilum alterum nominatum fuisse prædonum ducem; scripserat enim Plutarchus *διὰ Πρώτου καὶ Ξενοφίλου τῶν ἀρχικλώπων*. Cum *πρώτου* pro appellativo acciperetur, omissum est *καί*. *Πρῶτος* nomen proprium in lexicis e Demosthene, Plutarcho ipso (Sol. c. 2), inscriptionibus annotatur; idem in vita Dionis c 25, cum pro numerali acciperetur, Schæferus agnovit.

(III) In Ciceronis oratione pro Sulla 55, ubi defendit crimen gladiatorum specie muneris a Fausto dandi emptorum Sullæ obiectum, sic locus concluditur: Iam si in paranda familia nulla suspicio est, quis præfuerit, nihil ad rem pertinet. Sed tamen munere (contra codices scribitur in munere) servili obtulit se ad ferramenta prospicienda, præfuit vero nunquam, eaque res omni tempore per Bellum, Fausti libertum, administrata est. Aptissime hæc adduntur et cohærent: „Etsi, quoniam ad rem nihil pertinet, poteram omittere, tamen addam Sullam aliquid sane

---

Amphoterum *οὐδέτερον*. Tollitur lusus, si pro Cratero substituitur homo iam id nomen (inauditum alioquin) gerens, in quo insit significatio *ἀμφοτέρου*.

fecisse in ea re, verum nunquam familiæ præfuisse". Itaque prorsus arcendi sunt infelices eorum conatus, qui hæc transponendo divellere voluerunt. Sed ut dicatur Latine: servili munere me offero ad aliquid faciendum pro eo, quod est: ad servile munus (servili muneri) me offero, tamen Cicero nunquam dicturus erat senatorium et prætorium hominem, quem defenderet, servile munus subisse. Scilicet Cicero scripserat: Sed tamen munere Servili obtulit se cet. Familia Fausto empta locata fuerat Servilio nescio cui munus eodem tempore danti; tum Sulla obtulerat se ad ferramenta prospicienda. (Munere Servilii sine præpositione dicitur noto usu; vid. gr. Lat. § 276 n. 2.)

Sed veniamus ad eos locos, in quibus nomen mutatum nonnihil et depravatum est, scriptoresque linguarum et temporum ordine persequamur. Primum igitur (IV) apud Xenophontem hist. Græc. II, 4, 34, postquam narratum est, Pausaniam regem Lacedæmoniorum, cum Athenienses persequens usque ad theatrum Piræi progressus esset, vehementer ibi oppugnatum esse primum a levis armaturæ militibus compluresque ibi e Lacedæmoniis cecidisse, adduntur hæc: *Ὁρῶν δὲ ταῦτα ὁ Θρασύβουλος καὶ οἱ ἄλλοι ὁπλῖται ἐβοήθουν καὶ ταχὺ παρετάξαντο πρὸ τῶν ἄλλων ἐπ' ὀκτώ.* Qui fieri potuit, ut, qui postea subsidio veniret, gravis armaturæ milites ante leves et expeditos, qui iam excurrerant et hostibus inhærebant, constitueret? Thrasybulus vero *πρὸ τῶν Ἀλῶν* exercitum constituit; itaque cum Pausanias conversus collecta et densa phalange in Athenienses ingruisset, hi impetum non sustinentes partim *ἐξεώσθησαν εἰς τὸν ἐν ταῖς Ἀλαῖς πηλόν* (quem post tergum reliquerant), partim fugerunt. *Ἀλῶν* (*τῶν Ἀξωνίδων*), demi Piræo vicini, et paludum situm Kieperti tabula monstrabit[1]).

[1]) Minus diligenter Xenophon scripsit *καὶ οἱ ἄλλοι ὁπλῖται*, si ita scripsit. Nam nulli antea pugnaverant *ὁπλῖται*, sed, cum ades-

(V) Apud Diodorum Siculum XIII, 114 pacis inter Carthaginienses et Dionysium maiorem Olymp. 93, 4 factæ condiciones his verbis indicantur: *τὴν εἰρήνην ἐπὶ τοῖσδε ἔθεντο· Καρχηδονίων εἶναι μὲν τῶν ἐξ ἀρχῆς ἀποίκων ἄλλους τε καὶ Σικανοὺς, Σελινουντίους δὲ καὶ Ἀκραγαντίνους, ἔτι δ' Ἱμεραίους· . . . Λεοντίνους δὲ καὶ Μεσσηνίους καὶ Σικελοὺς ἅπαντας αὐτονόμους εἶναι· καὶ Συρακοσίους μὲν κ. τ. λ.* Primum *μέν* prorsus prave verbo *εἶναι* subiicitur; deinde admirabiles sunt illi *τῶν ἐξ ἀρχῆς ἀποίκων ἄλλοι* (alii ex colonis ab initio deductis), qui ita infinite significati cum Sicanis coniunguntur, quasi hi quoque omnium antiquissimi Siciliæ incolæ coloni Pœnorum fuerint, etsi tum dicēndum erat *ἄλλους τε τῶν ἐξ ἀρχῆς ἀποίκων καὶ Σικ.* Pace omnium primum cavetur, ut Carthaginiensium sint veteres, quos ipsi illuc deduxerant, coloni, hoc est, Motye eiusque ager (vid. XIII, 54 et XIV, 47: *Μοτύη, πόλις ἄποικος Καρχηδονίων*); deinde iis dantur indigenarum proximi, Sicani et alter populus, cuius nomen latet sub illo *ἄλλους*, facillimum repertu, si quis Thucydidis libri VI c. 2 legit, ne alios excitem; tum Græcæ urbes iis deduntur magnæ et nobiles. Scriptum erat antiquitus: *Καρχηδονίων εἶναι μετὰ τῶν ἐξ ἀρχῆς ἀποίκων Ἐλύμους τε καὶ Σικανοὺς, Σελινουντίους δὲ κ. τ. λ.*

(VI) Apud eundem Diodorum XIV, 117 de Pausania, rege Lacedæmoniorum, hæc narrantur (Olymp. 94, 3): *Ὁ δ' οὖν Παυσανίας κατ' ἐφοδον τῆς Ἀρκαδίας ἐμβαλὼν εἰς τὴν Ἦλιν Λασιῶνα μὲν φρούριον εὐθὺς εἷλεν ἐξ ἐφόδου· μετὰ δὲ ταῦτα διὰ τῆς Ἀκρωρείας ἀγαγὼν τὸ στρατόπεδον τέτταρας πόλεις προσηγάγετο κ. τ. λ.* Quid

---

sent *οἵ τε πελτασταὶ πάντες καὶ οἱ ὁπλῖται τῶν ἐκ Πειραιῶς* (33), hactenus tantum *οἱ ψιλοί* excurrerant. Fortasse igitur Xenophon tantum *καὶ οἱ ἄλλοι* posuit, *ὁπλῖται* a librario additum est. Video, quid dicturi contra sint, *τοὺς ἄλλους ὁπλίτας* esse *τοὺς ἄλλους, τοὺς ὁπλίτας*.

sit κατ' ἔφοδον Ἀρκαδίας invadere in Elidem, nemo dixerit, ne quid dicam de miro horum concursu κατ' ἔφοδον Ἀρκαδίας et ἐξ ἐφόδου εἶλεν. Manifestum est Diodorum dixisse, per quam Arcadiæ partem et locum Pausanias Elidem intrarit. Nihil propius videtur quam κατὰ Ψωφίδα. Si quis propius ad litteras nomen loci in occidentali Arcadia ad Elidem versus siti, apti ad viam significandam, monstrarit, accipiam.

(VII) Idem XIX, 88 de prœlio inter Alcetam, Epirotarum regem, filiumque Alexandrum et Lyciscum, Macedonum ducem, sic scribit: γενομένης οὖν μάχης ἰσχυρᾶς ἀνῃρέθησαν πολλοὶ τῶν στρατιωτῶν, ἐν οἷς ἦσαν ἄλλοι τέ τινες τῶν * ἀνδρῶν καὶ Μίκυθος ὁ στρατηγὸς καὶ Λύσανδρος Ἀθηναῖος ὁ καταστασθεὶς ἐπὶ τῆς Λευκάδος ὑπὸ Κασσάνδρου. Mire Micythus, qui ante omnino nominatus non est, subito imperatoris locum tenet, quem Lyciscum fuisse Diodorus apertissime dixit (ὁ τεταγμένος ἐπὶ τῆς Ἀκαρνανίας στρατηγός). Sed adiecta inter homines honestiores, qui ceciderint, Lysandri Atheniensis mentio satis ostendit scriptum fuisse Μίκυθος ὁ Στράτιος. Illam hominum ultra vulgus militum evectorum significationem non posse contineri τῶν ἀνδρῶν appellatione apparet[1]). Poterat videri excidisse adiectivum ante ἀνδρῶν. Sed scribendum est ἄλλοι τέ τινες τῶν ἀδρῶν, hoc est, maiorum et præstantium, quomodo ipse Diodorus ἀδρὰ crocodili δήγματα appellat I, 35, Dionysius Halicarn. νοήματα ὑψηλὰ καὶ ἀδρὰ καὶ καλά, alia alii, qui in Thes. Stephani ed. Par. nominantur.[2])

[1]) Dindorfius in quarta editione stellulam apposuit mendi notam.

[2]) XIX, 19 video etiam Dindorfium in edit. quarta animadvertisse subesse nomen proprium; nam ἐπικόλωνος neque Græcum est neque aptum requirituque manifesto significatio, quo via ferat (ut sequitur de altera via: ἡ δὲ διὰ τῶν Κοσσαίων); ipsum nomen vix verum est; mihi in mentem venerat subesse urbis nomen, a qua appellata Chalonitis regio.

(VIII) Idem Diodorus XX, 25 Eumelum, Bospori regem, narrat mille Callatianis, qui ex sua urbe a Lysimacho obsessa effugissent, perfugium tutum dedisse: *ἀλλὰ καὶ πόλιν ἔδωκε κατοικεῖν, ἐπὶ δὲ τούτοις τὴν ὀνομαζομένην Ψόαν καὶ τὴν χώραν κατεκληρούχησεν.* Non apparet, cur urbis nomini (id enim *Ψόαν* in hac orationis forma esse debet, adiecto *καὶ τὴν χώραν*) addat *τὴν ὀνομαζομένην*, minus etiam, cur hoc separaverit ab illis *πόλιν ἔδωκεν* nec scripserit *ἀλλὰ καὶ Ψόαν πόλιν ἔδωκε κατοικεῖν.* Manifestum est in litteris *ψοανκαιτην* unum subesse adiectivum regionem significans, quæ præter urbem non nominatam Callatianis exsulibus divisa sit, ut hæc fuerit orationis forma: *τὴν ὀνομαζομένην Ψοανκαιτικὴν* (*Ψοαντικὴν*?) *χώραν κατεκληρούχησεν.* Ipsam formam nominis quis reperiat aut præstet?

(IX) Eodem libro c. 31 de Agrigentinis hæc scribuntur: *Οἱ δὲ ταύτην* (Ennam) *ἐλευθερώσαντες παρῆλθον ἐπὶ τὸν Ἔρβησσὸν, φρουρᾶς ἐν αὐτῷ παραφυλαττούσης τὴν πόλιν.* Non solum mire abundat *ἐν αὐτῷ*, sed prorsus vitiosum est cum sequatur *τὴν πόλιν*, nisi quis hoc ferendum putat: „cum præsidium in eo oppidum custodiret“. Id ad rem pertinet, quale illud fuerit præsidium; apparet autem peregrinorum et mercenariorum fuisse ab Agathocle ad urbem continendam impositum. Scripserat sine dubio Diodorus: *φρουρᾶς Σαμνιτῶν παραφυλαττούσης τὴν πόλιν.* Samnites inter mercenarios Agathoclis fuisse, constat e cap. 64. (Error cœpit littera σ semel scripta, ut *αμνιτων* esset.)

(X) In excerptis Hœschelianis (vitiosissime scriptis) libri XXIII Diodori hoc legitur frustulum (6, in Dindorfii edit. quarta XXIII, 4, 2): *Ὅτι Ἀδράνωνα κώμην καὶ Μάκελλαν πολλὰς ἡμέρας πολιορκήσαντες Ῥωμαῖοι ἀπῆλθον ἄπρακτοι.* Oppidum *Ἀδρανόν* novimus et ab aliis et bis ab ipso Diodoro commemoratum, Adranona non novimus. Sed magis mirabilis *κώμης* appellatio obsessus-

que a Romanis multos dies vicus. Manifestum est inter Adranum et Macellam tertium oppidi aut castelli muniti nomen interpositum fuisse; id ex να et κώμην efficitur Νακόνην, quam Siciliæ πόλιν a Philisto commemoratam Stephanus Byzantinus in ordine ponit. Scribendum igitur: Ἀδρανὸν, Νακόνην καὶ Μάκελλαν.

(XI) Diodorum excipiat Strabo, ætate non multum distans, apud quem ut propter argumenti naturam infinita est nominum propriorum copia, ita etiam huius errandi generis occasio non exigua fuit. Apud eum V p. 242, ubi de Campaniæ veteribus incolis agitur, hæc leguntur: ἄλλοι δὲ λέγουσιν οἰκούντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων· οἱ δ' ἐκείνους κατασχεῖν ὕστερον, Ὄσκων τι ἔθνος, τούτους δ' ὑπὸ Κυμαίων, ἐκείνους δ' ὑπὸ Τυρρηνῶν ἐκπεσεῖν. Apparet constructionem in illis οἱ δ' ἐκείνους prorsus turbatam esse (quæ esset recta, si hæc sola legerentur: οἰκούντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων κατασχεῖν Ὄσκων τι ἔθνος), tum omnino non intellegi, qui sint ἐκεῖνοι, qui Opicis et Ausonibus successerint ipsique a Cumanis eiecti sint; eos a Strabone necessario suo nomine appellatos fuisse, adiecto appositione illo Ὄσκων τι ἔθνος. Id nomen adeo notum est et tam manifestis litterarum vestigiis monstratur, ut mirum sit neminem vidisse; Strabo enim scripserat: οἰκούντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων Σιδικίνους κατασχεῖν ὕστερον, Ὄσκων τι ἔθνος, τούτους δὲ κ. τ. λ. Strabo ipse eodem libro p. 237: Οὗτοι δὲ (οἱ Σιδικῖνοι) Ὄσκοι, Καμπανῶν ἔθνος ἐκλελοιπός. (Iuvit errorem, ut οι fieret, vetus litteræ Σ forma.)

(XII) Apud eundem Strabonem libr. VI p. 267, ubi de Siciliæ ora orientali sub radicibus Ætnæ agitur, in codicibus optimis et fide dignis et in Meinekii editione (cum nota mendi ante συνελθοῦσαι) sic scribitur: αἱ δὲ μεταξὺ Κατάνης καὶ Συρακουσσῶν (πόλεις) ἐκλελοίπασι, Νάξος καὶ Μέγαρα, ὅπου καὶ αἱ τῶν ποταμῶν ἐκβολαὶ συνελθοῦσαι καὶ πάντα καταρρεόντων ἐκ τῆς Αἴτνης εἰς

εὐλίμενα στόματα. Non dicam multis de ostiis fluminum congressis (ἐκβολαῖς συνελθούσαις) nec de verbis nullam omnino structuram habentibus καὶ πάντα, pro quibus in editionibus ante Meinekium substitutum est ex codicibus interpolatis unum πάντων, quod debebat saltem esse πάντων τῶν καταρρεόντων; alioquin enim non omnes ii fluvii, qui ex Ætna decurrant, significantur, sed omnes fluvii ex Ætna decurrere dicuntur; sed ut sic scribatur, falsissimum erit nihilo minus, omnes fluvios, qui in Ætna oriantur, in orientali ora uno ore exire; nam in diversissimas partes labuntur. Manifestum est, Strabonem non infinite fluvios hic exire scripsisse, sed certos fluvios nominasse; nec difficile est, si locorum situm consideres, nomina ex litteris ΣΥΝΕΛΘΟΥΣΑΙ ΚΑΙ ΠΑΝΤΑ eruere. Scripserat enim Strabo: αἱ τῶν ποταμῶν ἐκβολαὶ Συμαίθου καὶ Παντακίου, καταρρεόντων ἐκ τῆς Αἴτνης εἰς εὐλίμενα στόματα. Neuter fluvius in hac ora teste eget. Alterius nominis, cum πάντα tanquam plenum scriptum esset, extrema pars abiecta est, eo facilius, quod sequebatur κα[1]).

(XIII) Incertior videtur Strabonis in eodem libro locus p. 284, ubi, postquam Canusium et Argyrippam (Arpos) commemoravit, subiicit: Λέγονται δὲ ἀμφότεραι Διομήδους κτίσματα, tum universe addit: καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυται τῆς Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα, quæ deinde singulatim persequitur. Sed his interponitur aliquid miri; sic enim scribitur: Λέγονται δὲ ἀμφότεραι Διομήδους κτίσματα· καὶ τὸ πεδίον καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυται κ. τ. λ. Apparet et ridiculum esse, planitiem ostendi notam et monumentum imperii Diomedis, et illa καὶ ἄλλα πολλὰ κ. τ. λ. sic adiungi factæ primum in oppidis Diomedis mentioni, ut nihil interponi potuerit. Quid igitur fiet? Scilicet latet in illis τὸ πεδίον tertii oppidi nomen, cuius præter Canusium et Argyrippam Diomedes

[1]) Annal. philol. Dan. V p. 19 et 158.

conditor ferebatur. Id ipse Strabo sine nomine significavit paucis ante versibus (p. 283), τὸ ἐμπόριον τῶν Καννσιτῶν ad Aufidum flumen situm; nomen ex tabula Peutingeriana (si, ut videtur, hoc est Aufinum) et itinerario Antonini (p. 314 edit. Wessel. Aufidena) scimus ex flumine ductam fuisse; ex litteris τὸ πεδίον videtur facillime effici Αὐφίδιον. Ad hanc saltem formam Strabonem scripsisse patet: λέγονται δὲ ἀμφότεραι Διομήδους κτίσματα καὶ τὸ Αὐφίδιον· καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυται . . . σημεῖα.

(XIV) Libr. VII p. 290 Strabo ex populis Germanis, qui olim ad orientalem Rheni ripam habitassent, alios scribit in Gallicam ripam a Romanis traductos, alios ipsos in interiora Germaniæ recessisse (ταύτης δὲ τὰ [ἔθνη τὰ] μὲν εἰς τὴν Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι, τὰ δ' ἔφθη μεταστάντα εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, καθάπερ Μαρσοί), tum addit: λοιποὶ δ' εἰσὶν ὀλίγοι καὶ τῶν Σουγάμβρων μέρος. Poterat ferri ἄλλοι τ' ὀλίγοι καὶ οἱ Σούγαμβροι, non potest ὀλίγοι καὶ Σούγαμβροι, multo autem minus ὀλίγοι καὶ Σουγάμβρων μέρος. Hoc enim sic dicitur, ut necessario præcedere debeat alius populi, qui totus manserit, nomen. Id Ubiorum (Οὔβιοι) esse nequit, quoniam ii ab Agrippa iam aliquanto ante, quam Strabo scripsit, Rhenum traducti erant (quod ipse Strabo IV p. 194 commemorat); itaque Οὔσιποι (sic enim Usipios Strabo appellat p. 292) aut e Ptolemæo Οὐϊσποί in mentem veniunt.

(XV) In eiusdem Strabonis libr. VIII p. 345 obscuratum est ludicrum nomen lepide fictum ab homine festivi et procacis ingenii. Nam quod in Odysseæ libro III, 368 sqq. Minerva sub Mentoris persona latens, postquam se dixit ad navem redituram et mane ad Cauconas versus abituram, sic Nestorem alloquitur: σὺ δὲ τοῦτον, ἐπεὶ τεὸν ἵκετο δῶμα, Πέμψον σὺν δίφρῳ τε καὶ υἱεῖ· δὸς δέ οἱ ἵππους, Οἵ τοι ἐλαφρότατοι θείειν καὶ κάρτος ἄριστοι, id illo loco a Strabone sic narratur: Κελεύει γὰρ ἡ μὲν Ἀθηνᾶ κατὰ τὸν Σωτάδην τῷ Νέστορι τὸν μὲν Τηλέμαχον εἰς

τὴν Λακεδαίμονα πέμψαι σὺν δίφρῳ τε καὶ νίεϊ εἰς τὰ πρὸς ἕω μέρη, αὐτὴ δ' ἐπὶ ναῦν βαδιεῖσθαι νύκτερεύουσά φησιν ἐπὶ τὴν δύσιν καὶ εἰς τοὐπίσω. Iure vehementer mirantur Sotadis mentionem in sententia versuum Homericorum simpliciter ponenda; Kramerus quidem, quomodo explicanda sit, neminem unquam divinaturum credit, nec nimis anxie quærendum putat; totam enim paginam (usque ad verba μέχρι Πύλου τοῦ Μεσσηνιακοῦ p. 346) nugatoriis utens argumentis exsecat tanquam alienam; quasi interpolator Strabonis disputationem dilatans magis quam Strabo ipse Sotadem ex inferis arcessitum in Homeri versus περικάτω (ut verbo supra explicato utar) iniecturus fuerit. Ego, quod neminem divinaturum Kramerus putat, satis certo scio, inductus ad id inveniendum particula μέν, quæ pravissime ante Ἀθηνᾶ sic additur, ut iubeamur alius personæ mentionem exspectare, quæ aliud iusserit. Nimirum Strabo, utrum Mentoris an Minervæ testimonium appellaret, hæsitans usus erat nomine lepide a Sotade ficto ad conflatam ex utroque personam significandam: ἡ Μεντοραθηνᾶ. Librarius cum μὲν scripsisset, Ἀθηνᾶ scripturus esset, τορ omisit (ut supra VI p. 267 κίον inter πάντα et καταρρεόντων).[1])

---

[1]) Eiusdem libri VIII p. 364 infeliciter a Kramero expletum est nomen proprium, cuius pars maior in codice A periit (— ceteri lacunam habent —); sic enim scripsit: Μεσσόαν δ' οὐ τῆς χώρας εἶναι μέρος (φασίν), [ἀλλὰ] τῆς Σπάρτης, καθάπερ καὶ τὸ Λιμναῖον κατὰ τὸν [Θρᾷ]κα. (Cod. quattuor fere litterarum vacuum spatium habet inter τὸν et κα.) Intellegi vult Dionysium Thracem grammaticum, qui neque in huiusmodi rebus (ad geographiam et antiquitates pertinentibus) unquam testis citatur neque sic uno cognomine significari a Strabone poterat. (Longe alia ratio est librorum grammaticorum et scholiorum.) Strabo scripsisse videtur καθάπερ τὸ Λιμναῖον· καὶ τὴν Βαβύκαν. Babycen Spartæ fuisse omnes norant; quid et ubi esset, quærebant; Plutarch. Lyc. c. 6, Pelopid. c. 17.

(XVI) Libro XV p. 731 Strabo de pecunia ab Alexandro Persis victis capta et reperta exponit; ibi hæc leguntur: *Φασὶ δὲ χωρὶς τῶν ἐν Βαβυλῶνι καὶ τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῶν παρὰ ταῦτα μὴ ληφθέντων αὐτὰ τὰ ἐν Σούσοις καὶ τὰ ἐν Περσίδι τέτταρας μυριάδας ταλάντων ἐξετασθῆναι.* Mirifice prorsus dicitur, quanta fuerit summa præter eas pecunias, quæ non captæ sint (*χωρὶς τῶν μὴ ληφθέντων*). Quid autem sit *παρὰ ταῦτα* (plurali numero), omnino ignoro; nam ut fingam esse propter hoc (*διὰ τοῦτο*), quo id referatur quæve significetur causa, ne suspicari quidem possum, nec sane quærere curo; nam in codicibus scribitur *περὶ ταῦτα*, mutatum a Corae. Postremo historiæ vehementissime hoc repugnat; quis enim nescit Alexandrum omni gaza, quam Darius secum habuisset, post prœlium ad Arbela et Gaugamela potitum esse? (Arrian. III, 15, Curt. V, 1, 2.) Et cur alioquin huius pecuniæ Strabo mentionem faceret? Manifestissimum est, Strabonem hoc scripsisse, *χωρὶς τῶν ἐν Βαβυλῶνι καὶ τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ . . . . ληφθέντων* ea sola, quæ Susis et in Perside reperta sint, quadraginta illa talentorum millia explevisse tradi, ut, si quis illa addat, multo maior fiat summa. In illis autem *περὶ ΤΑΥΤΑΜΗ* significatur, quo loco illi in castris thesauri capti sint. *Τ* bis in *Γ* mutato tres habebimus nominis syllabas; quarta, cum effectum esset *ταῦτα μή*, (ut VI p. 267, VIII p. 345) omissa est, præsertim *λη* sequente; erat enim *λα*. Scripserat enim Strabo: *τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῷ περὶ Γαυγάμηλα ληφθέντων.* (Coraes, qui *περί* prave mutavit, cum *μή* tamen perversum esse recte intellexisset, a Kramero reprehensus est.)[1])

[1]) Ann. philol. Dan. V p. 19 et 159. Eadem Strabonis pagina (731) paulo post, ubi hæc leguntur: *Εὐδαίμων δ' οὖσα ἡ Σουσὶς ἔκπυρον τὸν ἀέρα ἔχει καὶ καυματηρὸν* (*καὶ* ante *καυ* in codd. excidit) *καὶ μάλιστα τὸν περὶ τὴν πόλιν, ὅς φησιν ἐκεῖνος,*

(XVII) Libro XVII p. 836 in descriptione oræ Africæ ad occidentem Cyrenæ hæc leguntur: *Ἔστι δὲ ἄκρα λεγομένη Ψευδοπενιάς, ἐφ' ἧς ἡ Βερενίκη τὴν θέσιν ἔχει παρὰ λίμνην τινὰ Τριτωνίδα, ἐν ᾗ μάλιστα νησίον ἐστὶ καὶ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν αὐτῷ.* Nihil omnino loci habet *μάλιστα* (quasi dicas: lacus est et in eo potissimum insula); subest nomen insulæ ignotum.

(XVIII) Antequam a Strabone discedo, addam eiusdem ultimi libri locum, in quo non nomen proprium, sed tamen prorsus eodem modo appellativa vox rarior certi loci index, substituto pervagato vocabulo, sublata est, quod mendum cum subesse et locum quendam significari intellegerem, diu nomen proprium frustra anquisivi, donec casu in rectam viam deductus sum. Nam p. 831 Strabo urbes eius Numidiæ partis, in qua Cæsar bellum contra Scipionem et Iubam gessisset, plerasque eversas et deletas scribit, eas quoque, ad quas Cæsar Scipionem vicisset: *συνηφανίσθησαν δὲ τοῖς ἡγεμόσι καὶ αἱ πόλεις, Τισιαοῦς . . . . καὶ Ζάμα καὶ Ζίγχα καὶ πρὸς αἷς κατεπολέμησε Καῖσαρ Σκιπίωνα ὁ θεὸς, πρὸς Ῥουσπίνῳ μὲν πρῶτον νικῶν, εἶτα πρὸς Οὐζίτοις, εἶτα πρὸς Θάψῳ καὶ τῇ πλησίον λίμνῃ καὶ ταῖς ἄλλαις.* Perversissime in distincta trium prœliorum enumeratione eius urbis nomini, ad quod postremo pugnatum est, adhæret illud infinitum *καὶ ταῖς ἄλλαις.* Nam *τῇ πλησίον λίμνῃ* ideo additur, quod circa urbem et lacum vicinum pugnatum est, ut ex belli Africani libro, qui cum Cæsaris commentariis servatus est, constat. Atqui eius

---

in pronomine hoc, quod quo referatur non habet, nomen proprium subesse, iam alii intellexerunt. (Kramerus, qua est ad librariorum errores defendendos fingendi levitate, „haud pauca præterea neglegentiæ vestigia in hac Straboniani operis parte offendi" narrat Huiusmodine? Saltem unum exemplum posuisset.) Litteræ longe recedunt ab eo, quod subesse suspicere, *Πολύκλειτος* (p. 728, 735, ubi codd. *Πολύκριτος*, 742).

scriptor pugnæ narrationem ordiens sic incipit (c. 80): Erat stagnum **salinarum**, inter quod et mare angustiæ quædam non amplius mille et D passus intererant. Itaque Strabo scripserat una littera minus: *πρὸς Θάψῳ καὶ τῇ πλησίον λίμνῃ καὶ ταῖς ἅλαις*. Nam salinæ a Strabone *ἅλαι* appellantur, non *ἅλες*, apertissime libr. XII p. 561: *εἰσὶ δ' ἐν τῇ Ξιμήνῃ ἅλαι ὀρυκτῶν ἁλῶν*. Femininum genus apparet etiam XII p. 546: *ὠνόμασται δὲ ἀπὸ τῶν ἁλῶν ἃς παραρρεῖ*.[1])

(XIX) Straboni proximus erit Plutarchus, cuius et in vitis et in moralibus quædam huius generis menda deprehendi. Ex illis primum est in Publicolæ c. 17 extremo, ubi sic scribitur: *Τοῦτον τὸν ἄνδρα Μούκιον ὁμοῦ τι πάντων καὶ Σκαιόλαν καλούντων, Ἀθηνόδωρος ὁ Σάνδωνος ἐν τῷ πρὸς Ὀκταουΐαν τὴν Καίσαρος ἀδελφὴν καὶ Ὀψίγονον ὠνομάσθαι φησίν*. Hoc si recte scriberetur, Athenodorus tantum Mucii Scævolæ nomini addidisset (*καὶ*) alterum cognomen; sed orationis forma maiorem de ipso nomine dissensum significat. Scripserat Plutarchus non *καὶ*. sed *Γάϊον Ὀψίγονον*, primum (ut sunt Græci neglegentes in nominum Romanorum ratione) non attendens, qui Gaius sit, eundem Mucium esse, deinde non intellegens, *Ὀψίγονον* Athenodorum posuisse pro Cordi cognomine, quo nonnulli Mucium ante, quam Scævola appellaretur, usum esse tradebant (Zonar. VII, 12, schol. Bobiens. ad Cic. pro Sest. c. 21 p. 299 Or., Aurel. Vict. de vir. illustr. 12); nam cordum interpretabantur sero natum. (Etiam Quintilianus I, 4, 25 Cordum inter cognomina ex casu nascentium ducta ponit.)

(XX) In vita Marcelli c. 4 prodigium C. Flaminio, P. Furio coss. (223 a. Chr.) nuntiatum sic narratur: *ὤφθη*

---

[1]) *Ἁλῶν* et *ἁλαῖς* et *ἁλάς* (bis) transisse in *ἄλλων*, *ἄλλαις*, *ἄλλας* apud Dionys. Halic. hist. Rom. II, 55, III, 41, Sylburgius intellexit.

μὲν αἵματι ῥέων ὁ διὰ τῆς Πικηνίδος χώρας ποταμός. Male me habet flumen sine nomine sic positum, addito articulo, quasi unum fuerit et certum in Piceno flumen. (Nam Orosius IV, 13 infinite dicit flumen in Piceno sanguine fluxisse.) Itaque cogor suspicari nec tamen affirmo, scriptum fuisse a Plutarcho ὁ διὰ τῆς Πικηνίδος Κύπρας ποταμός, ut significetur fluviolus per oppidum Cupram, in quo templum Iunonis nobile fuit, in mare decurrens.

(XXI) In Marii c. 19 Plutarchus Ambrones narrat, cum ad aquas Sextias ad pugnandum procederent, crebro suum ipsos nomen clamando ingeminasse (ἅμα τὴν αὑτῶν ἐφθέγγοντο πολλάκις προσηγορίαν Ἄμβρωνες); tum addit: τῶν δ' Ἰταλικῶν πρῶτοι καταβαίνοντες ἐπ' αὐτοὺς Λίγυες, ὡς ἤκουσαν βοώντων καὶ συνῆκαν, ἀντεφώνουν καὶ αὐτοὶ τὴν πάτριον ἐπίκλησιν αὐτῶν εἶναι· σφᾶς γὰρ αὐτοὺς οὕτως ὀνομάζουσι κατὰ γένος Λίγυες. Hæc sic accipiuntur, ut Ligures contra clamando responderint, se idem Ambronum nomen a maioribus traditum gerere; in quo primum admodun mirabilis est casus et fortunæ lusus; deinde hoc verba Græca significare nullo modo possunt; nam ut omittam ἀντιφωνεῖν non esse respondere, in illa sententia necessario pronomen (τὴν αὐτήν aut ταύτην) addendum erat, articulus detrahendus, ut esset: τὴν αὐτὴν πάτριον ἑαυτῶν (vel potius ἑαυτοῖς) ἐπίκλησιν εἶναι. Longe alia Plutarchi mens est; hoc enim dicit, Ambronibus suum nomen ingeminantibus Ligures suum e contrario nomen clamando rettulisse (ἀντεφώνουν καὶ αὐτοὶ τὴν πάτριον ἐπίκλησιν αὐτῶν), non vulgare illud, sed minus notum aliquod, quo ipsi se κατὰ γένος, hoc est, gentem et stirpem proprie signantes, appellaverint; id inest in litteris Εἶναι, appositione adiunctum ad τὴν ἐπίκλησιν (nominativo casu ut paulo ante τὴν ... προσηγορίαν Ἄμβρωνες), eique adduntur explicandi causa illa: σφᾶς γὰρ αὐτοὺς οὕτως κ. τ. λ. Iam quantum illæ

litteræ distent a nominis Ligurum gentilis forma a Plutarcho posita, quis dicat? Equidem nihil de eo usquam traditum repperi; tantum hic positum a Plutarcho fuisse scio.

(XXII) Transeo ad Plutarchi scriptorum alterum corpus, e quibus primum attingam libelli de fortuna c. 4 (p. 99 B). Ibi exponitur, artificum operibus Minervam præesse, non fortunam, nec nisi unum exemplum commemorari huiusmodi operis casu effecti; pictorem enim aliquem, cum equum pingeret nec spumam frenos mordentis apte coloribus exprimere posset, iratum spongiam in tabulam impegisse; ea spumæ similitudinem egregie perfectam esse. Ea narratio sic incipit: *Ἕνα μέντοι φασὶν ἵππον ζωγραφοῦντα τοῖς μὲν ἄλλοις κατορθοῦν εἴδεσι καὶ χρώμασι, τοῦ δ' ἀφροῦ κ. τ. λ.* Si Plutarchus artificis nomen omisisset, quod vix in tali fabula exempli loco ponenda fecisse videri potest, *ζώγραφόν τινα* commemorasset; nunc *ἕνα* illud tam inepte ponitur, primo etiam loco, ut appareat, sub illo ipso artificis nomen latere. Id nomen Plinius hist. nat. XXXV, 104 servavit; scribendum igitur est: *Νεάλκη μέντοι φασὶν κ. τ. λ.* (Præcedit littera *ν*.).

(XXIII) In convivio sept. sap. c. 13 (p. 155 F), ubi editur sic: *καὶ ὁ Πιττακὸς, Σὺ δέ γε, εἶπεν, οὕτως ἐξυβρισας εἰς τὸν νόμον, ὥστε πέρυσι γὰρ καὶ νυνὶ μεθυσθεὶς ἄθλον αἰτεῖν καὶ στέφανον*, iam Wyttenbachius suspicatus est nomen hominis subesse. E codicum vestigiis (*παρὰ λίβουτ' ἀδελφῷ* pro illis *γὰρ καὶ νυνί*) effici videtur *παρὰ Λιβουτάδῃ Δελφῷ μεθυσθείς*. Nam *δη* ante *Δε* hauriri facile potuit.[1])

(XXIV) In declamatione de gloria Atheniensium c. 8 (p. 350 C), ubi oratorum libri cum imperatorum rebus gestis comparantur, quod in textu patienter tenetur *τῆς Ἀρι-*

[1]) Quæstt. Rom. 90 quod restituturus eram *Ὄρθρος* (Geryonis canis ita appellatur), præripuit Wehle mus. Rhen. XX p. 309.

στείδου παραγγελίας νίκης pro παρὰ Πλαταιαῖς νίκης, in interpretatione Latina tacite correctum est; sed in eodem loco paulo post hæc leguntur: ἢ τοῖς κοινοῖς στεφάνοις, οὓς τὴν Ἑλλάδα ἐλευθερώσας ἔλαβε, τὸν Δημοσθένους περὶ τοῦ στεφάνου παραβάλωμεν; et Latine ponitur publicis corònis. Apparet subesse nomen imperatoris, qui τὴν Ἑλλάδα ἐλευθερῶσαι dici possit. Scripserat Plutarchus τοῖς Κόνωνος στεφάνοις, honores ei habitos post victoriam Cnidiam et restitutos Athenarum muros significans.

(XXV) In libello de εἰ Delphico c. 15 (p. 391 C) vereri Plutarchus se dicit, ne Plato, ut Anaxagoras, alienas sententias pro suis posuisse videatur. Prolatis deinde nonnullis e Platonis libris, quæ pertinent ad quinarii numeri in mundi constitutione vim, subiicit: Πυθόμενος, φησὶ, δή τις ταῦτα πρότερος συνιδὼν Πλάτωνος δύο Ε καθιέρωσε τῷ θεῷ, δήλωμα καὶ σύμβολον τοῦ ἀριθμοῦ τῶν πάντων. Ut nihil dicam de φησί verbo subiecto carente, nisi per se manifestum esset, nominari certum hominem debuisse, qui ante Platonem hæc vidisset, solus concursus participiorum πυθόμενος et συνιδών mendum monstraret, cum præsertim de intellecta re et reperta, non de audita et ab aliis comperta (πυνθάνεσθαι) agatur. Scripserat Plutarchus: Πυθαγόρας, φήσει δή τις, ταῦτα πρότερος (πρότερον?) συνιδὼν Πλάτωνος κ. τ. λ.

(XXVI) In libro, quo quæritur, senine sit gerenda respublica, c. 27 (p. 797 C), ubi exemplis declaratur, quantum sæpe senum auctoritas in rebus publicis valuerit, Plutarchus, senem Spartanum Agidi regi, acie iam instructa ad prœlium cum hostibus committendum progredienti, acclamasse narrat, malo eum malum sanare velle: Ὁ δὲ Ἄγις ἀκούσας ἐπείσθη καὶ ἀνεχώρησε μὲν, ἐκράτει δὲ καὶ δίφρος ἔκειτο καθ' ἡμέραν παρὰ ταῖς θύραις τοῦ ἀρχείου, καὶ πολλάκις ἀνιστάμενοι πρὸς αὐτὸν οἱ ἔφοροι διεπυνθάνοντο καὶ συνεβουλεύοντο περὶ τῶν μεγίστων. Ἐδόκει

γὰρ ἔμφρων ἀνὴρ εἶναι καὶ συνετὸς ἱστορεῖσθαι. Adduntur plura de eo, etiam cum ob summam senectutem debilis et plerumque κλινήρης esset, ab ephoris arcessito in forum et, ut imperio obediret (τῷ δεσπότῃ πείθοιτο), ire conato. Multa hic perversa, primum illud de Agide se recipiente illo quidem, sed tamen victore (nam quod postero die alio loco pugnavit vicitque, nihil ad hanc rem pertinet nec poterat tam obscure significari), tum in hoc ipso aoristis mire et prave subiectum imperfectum (ἐκράτει), deinde vero omnia, quæ deinceps adduntur, a regis persona alienissima, ad civem privatum honoratum apta, illud vero de vita ad ultimam senectutem producta prorsus Agidis historiæ repugnans. Hæc omnia incommoda tollet litterarum distractarum sine ullius mutatione in unum nomen congregatio: Ὁ δὲ Ἄγις ἐπείσθη καὶ ἀνεχώρησε. Μενεκράτει δὲ καὶ δίφρος ἔκειτο κ. τ. λ. Iam omnia, quæ sequuntur, ad Menecratem pertinent, cuius memoriam extra hunc locum servatam non arbitror[1]). Thucydides quidem V, 65 neque nomen hominis ponit neque ea, quæ de honore ei postea habito Plutarchus ex alio fonte, ut sæpe, addit. (Præterea sic scribendum est: καὶ συνετός. Ἱστορεῖται δὲ, ὅτι καὶ [δὲ καὶ, ὅτι?] παντάπασιν κ. τ. λ.)

(XXVII) De Stoicorum repugn. c. 2, 4 Plutarchus in vita scholastica et otiosa, quam Stoici maximeque Chrysippus reprehendant, nullos magis consenuisse ait quam Chrysippum, Cleanthem, Diogenem, Zenonem, Antipatrum, οἵ γε καὶ τὰς αὑτῶν κατέλιπον πατρίδας, οὐδὲν ἐγκαλοῦντες, ἀλλ' ὅπως καθ' ἡσυχίαν ἐν τῷ ἡδίονι καὶ ἐπὶ ζωστῆρος σχολάζοντες καὶ φιλολογοῦντες διάγωσιν. Mirum illud ἐν τῷ ἡδίονι διάγειν, quod vertunt in suavi otio, comparativi saltem nullam rationem habentes, magis tamen ἐπὶ ζωστῆρος διάγειν, quod interpretatio

[1]) Sympos. II, 5, 1, 4 Μενεκράτης ex μὲν Κράτης restituit Reiskius, in libro Non posse suaviter, c. 21, 9 Μενανδρεῖον pro μὲν ἀνδρεῖον Mezeriacus.

omittit. Nihil erit miri, si ἐπὶ Ζωστῆρος scripseris, ut Atticæ vicus et promuntorium intellegatur, ad quod philosophos æstivare et otiari solitos apparet. Itaque etiam ἐν τῷ ἠδίονι alius significatur Athenarum aut Atticæ locus a philosophis celebratus; is, ni fallor, odeum fuit: ἐν τῷ ᾠδείῳ. (Alterum ω extritum locum dedit η interponendi.) Ἐν τῷ ᾠδείῳ Chrysippum σχολάσαι, Diogenes Laert. VII, 184 testis est.

(XXVIII) Apud Lucianum in piscatore c. 39 Parrhesiades, omnibus sententiis absolutus, exclamat: Προσεκύνησα τήν γε πρώτην· μᾶλλον δὲ τραγικώτερον αὐτὸ ποιήσειν μοι δοκῶ· σεμνότερον γάρ· Ὦ μέγα σεμνὴ Νίκη, κ. τ. λ. Verti video: Equidem initio iam adoravi. Sed neque τὴν πρώτην est initio, neque γέ ferri potest (saltem initio) neque omitti recte, quem veneratus sit deum (neminem autem est veneratus, c. 29), et longe aliam sententiam postulat, quæ sequitur, correctio μᾶλλον δέ. Manifestum esse iam ex orationis forma debet προσεκύνησα notissimo usu dici pro præsenti de affectu nunc erumpente; veneratur autem iudicio victor Victoriam, primum simpliciter: Προσεκύνησα τὴν Πτερωτήν. Deinde magnificentius poëtæ verbis utitur. Alata dea in hoc orationis contextu quæ significaretur, nemo Græcus dubitabat.

(XXIX) Idem Lucianus in libro adv. indoctum c. 4 hominem libris coemendis doctrinæ laudem aucupantem negat, etiamsi pretiosissimos codices possederit, quicquam ad doctrinam profecturum: Κατὰ δὴ ταῦτα ἔχε ξυλλαβὼν ἐκεῖνα τὰ τοῦ Δημοσθένους, ὅσα τῇ χειρὶ τῇ αὑτοῦ ὁ ῥήτωρ ἔγραψε, καὶ τὰ τοῦ Θουκυδίδου, ὅσα παρὰ τοῦ Δημοσθένους καὶ αὐτὰ ὀκτάκις μεταγεγραμμένα εὑρέθη καλῶς, ἅπαντα ἐκεῖνα. ὅσα ὁ Σύλλας Ἀθήνηθεν εἰς Ἰταλίαν διέπεμψε, τί ἂν πλέον ἐκ τούτου εἰς παιδείαν κτήσαιο; Ignave prorsus et pravissimo loco post εὑρέθη illud καλῶς additur in codice pretium a manu Demosthenis habenti, manifestumque est hoc sententiæ membrum finiri

in μεταγεγραμμένα εὑρέθη. Deinde ἅπαντα ἐκεῖνα male his adiunguntur; nam in libris a Sulla Athenis Romam in præda missis non Demosthenis neque Thucydidis codices commemorabantur, sed Aristotelis et Theophrasti libri Nelei Scepsio hereditate relicti et postea Athenas translati (vid. Strabon. XIII. 608, 609, etsi fuisse, qui ad Ptolemæum Philadelphum pervenisse traderent, ex Athenæo I p. 3 A scimus). Coniunxit igitur Lucianus tria egregia κειμήλια, Demosthenis orationes ipsius manu scriptas, Thucydidis historiam a Demosthene (ut fama ferebat) octies descriptam, antiquissimos et rarissimos, quos Neleus possederat, codices: ὅσα ... εὑρέθη, καὶ Νηλέως ἅπαντα ἐκεῖνα, ὅσα ὁ Σύλλας κ. τ. λ. Ex καινηλέως factum καλῶς. Sed restat aliquid. Neque enim Græce παρὰ τοῦ Δημοσθένους μεταγεγραμμένα pro ὑπό dicitur; illa præpositione significantur, quæ quis a Demosthene, id est, ex eius codicibus ipso permittente, descripserit; et tamen priorem illam sententiam et fama alibi tradita et totus locus et additum καὶ αὐτά (non minus quam Demosthenis ipsius orationes) postulant. Itaque pro παρά scribendum, non ὑπό, quod nemo mutasset, sed, opinor: ὅσα γραφείῳ τοῦ Δημοσθένους καὶ αὐτὰ ὀκτάκις μεταγεγραμμένα εὑρέθη. Variavit Lucianus, quod in priore membro dixit τῇ χειρί.

(XXX) Pausanias VII. 23, 7 et 8 exponit, quæ homo Sidonius secum aliquando de Apollinis, hoc est solis, et Æsculapii, hoc est aeris salubritatisque, coniunctione disputaverit; deinde addit: Ἐγὼ δὲ ἀποδέχεσθαι μὲν τὰ εἰρημένα, ἰσδὲν δέ τι Φοινίκων μᾶλλον ἢ καὶ Ἑλλήνων ἔφην τὸν λόγον, ἐπεὶ καὶ ἐν Τιτάνῃ τῆς Σικυωνίων τὸ αὐτὸ ἄγαλμα Ὑγιείαν τε ὀνομάζεσθαι καὶ παιδιην (sic codd., non παιδὶ εἶναι) δῆλα, ὡς τὸν ἡλιακὸν δρόμον ἐπὶ γῆς ὑγίειαν ποιοῦντα ἀνθρώποις. Recte intellectum est, huic Ὑγιείαν τε alterum respondere debere nomen, verum id non Æsculapii esse debet (ex eo enim nihil, quod

ad rem pertineat, efficitur), sed aut solis aut cum sole coniunctum, ut ex eo intellegatur, etiam Græcos hæc copulasse; deinde non addendum alibi id nomen est, sed ex *παιδιην* exsculpendum (*Ὑγίειάν τε ὀνομάζεσθαι καὶ . . .*), ut adiungatur: *δῆλα, ὡς* (videlicet, quod). Nomen ipsum non audeo definire. (*Ἡλιάδα*?)

(XXXI) Transeamus ad Latinos, quorum agmen ducet Cicero. Nam quod ad Attic. III, 8, 2 scribitur: nam Phaetho libertus eum (Q. Ciceronem) non vidit; vento reiectus ab illo in Macedoniam Pellæ mihi præsto fuit, vento ab homine non reiicimur aliquo, nedum ab eo, quem non viderimus. Ab **Ilio**, cum Asiam peteret, Phaetho erat vento reiectus.

(XXXII) Ciceroni adiungatur Asconius, qui in exordio commentarii in Pisonianam (p. 119 Hot.) scripsit: magis naturale est, ut **Piso** recenti reditu invectus sit in Ciceronem, non, ut editur, ipso recenti, pronomine male abundanti.

(XXXIII) Seneca rhetor p. 173 (155) narrat Latronem, cum Cæsare Augusto præsente declamaret, quædam de adoptione dixisse, quæ Cæsarem tangere crederentur (— verba corrupta sunt necdum probabiliter emendata —); tum Mæcenas (ne progrediens Latro gravius offenderet) innuit patro fascina recusarem finiret iam declamationem. Sic enim codices. In patro subesse Latron: recte Iahnius intellexit; sed aliud præterea latet nomen proprium, quo eruto reliqua etiam certam habent emendationem; fere enim tantum litteræ separandæ recte sunt, Mæcenas innuit Latroni, **festinare Cæsarem**; finiret iam declamationem.

(XXXIV) Apud eundem p. 250 (227) hæc scribuntur: Saturninus Furius, qui volens (codd. voles) vel condemnavit, maius nomen in foro quam in dei clamationibus habuit. In Furio, inter declamatores non valde noto, in memoriam revocatur nobilis accusatio-

qua reum condemnaverat. Rei nomen litteræ satis monstrant: qui **Votienum** condemnavit. Votienum maiestatis damnatum, omisso accusatoris nomine, commemorat Tacitus ann. IV, 42.

(XXXV) Valerius Maximus VIII, 7 E. 3 de Platone Ægyptum (Alexandriæ vicinam) peragranti sic scribit: Nili fluminis inexplicabiles ripas vastissimosque campos, effusam barbariem et flexuosos fossarum ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat. Apparet prave dici lustrare barbariem et barbariem effusam vitiosissimeque inter locorum appellationes (ripas, campos, fossas) barbariem illam interponi. Latet sub barbariæ nomine locus aliquis in vicinia Alexandriæ notabilis, qui natura sua apte effusus dici potuerit. Is lacus aut palus est. Nimirum scriptum fuerat: effusam **Mareotidem**; semel scripto m, ex areotidem factum sensim barbariem.

(XXXVI) Apud eundem Valerium VIII, 15 E. 1 de Pythagora hæc leguntur: Magnus honos (fuit, quod satis videbatur ad rem demonstrandam, ipsum dixisse), sed schola tenus; illa urbium suffragiis tributa: Enixo Crotoniatæ studio ab eo petierunt, ut senatum ipsorum . . . consiliis suis uti pateretur, opulentissimaque civitas tam frequenter (cod. B frequentem) venerati post mortem domum Cereris sacrarium fecerunt, quaque (recte Kempfius: quoadque) illa urbs viguit, et dea in hominis memoria et homo in deæ religione cultus est. Mire, cum urbium suffragia nominasset, una urbs appellatur, Croton; cur deinde illa opulentiæ laus (opulentissimaque civitas) non statim ponitur? quæ est illa frequentia venerationis? quove pertinet particula tam (tam frequenter)? Intellegi iam ex his indiciis potest, in corruptis illis tam frequenter latere alterius urbis (vel potius, propter venerati et fecerunt, incolarum) nomen. Acce-

dit, quod nemo Pythagoræ morienti aut post mortem honorem habitum a Crotoniatis tradidit, sed eum aut ab iis occisum aut inde fugisse Metapontique mortuum esse. Itaque nihil certius esset quam Metapontinos hic cum Crotoniatis coniunctos fuisse, etiamsi non apertis verbis Diogenes Laert. VIII, 15 (cfr. 40) et Iustinus XX, 4, 18 ipsum hoc de Pythagoræ domo in sacrarium Cereris conversa ad Metapontinos referrent. Scripserat igitur Valerius: Enixo Crotoniatæ studio ... pateretur, opulentissimaque civitas **Metapontini** venerati post mortem domum Cereris sacrarium fecerunt. Quoniam autem hæc emendatio omni dubitationi exempta est, in hoc loco ut in proximo et in aliquot superioribus animadverti velim, cum semel a nomine proprio aberratum esset, quam licenter litteræ ad vocabula appellativa efficienda mutatæ sint. Nam ex Meta superest ta, ex pontini tantum nt.

(XXXVII) Apud Plinium hist. nat. II, 224 enumerantur fluvii, quorum aquæ lacuum, quos transirent, aquas supermeare nec iis misceri credebantur, his verbis: Quædam vero et dulces (aquæ) inter se supermeant alias, ut in Fucino lacu invectus amnis, in Lario Addua, in Verbanno Ticinus, in Benaco Mincius, in Sebinno Ollius, in Lemanno Rhodanus, cet. Ibi quin proprium eius quoque fluvii, qui Fucino lacui invehatur et eum supermeet, nomen positum fuerit, non inane et a constructione (in Fucino lacu) alienum participium, dubium non est, etsi a nullo annotatum video; sed quod id nomen fuerit, si tamen traditum usquam est, iis relinquo reperiendum, qui Apenninos et rivos fluviolosque inde in Fucinum decurrentes melius norunt quam ego.

(XXXVIII) Tacito in Agricolæ c. 24 insignis in hoc genere et cum historia coniuncta adhibenda emendatio est Scribitur enim ibi sic: Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis prœliis domuit;

eamque partem Britanniæ, quæ Hiberniam adspicit, copiis instruxit cet. Manifestum est, non omitti potuisse, quod caput narrationis est et sine quo omnia hæc inania sunt et ipsa oratio vitiosa, quid (quod flumen mareve) Agrippa transgressus sit; deinde nihil sane in ipsa Britannia erat, quod classe et navibus transiret; ineptissima quoque est primæ navis mentio; nam si hoc Tacitus significaret, Agrippam exemplo fuisse exercitui primum ipsum euntem (prima nave, non nave prima), saltem periculi et difficultatis aliqua significatio præcedere debebat. Nolo persequi inutiles mendi manifesti enarrando occultandi conatus; apparet enim, in illis nave prima nomen latere fluminis, quod Agrippa transierit, ut in partem Britanniæ, quæ Hiberniam aspicit, veniret. Scripserat igitur Tacitus: Quinto expeditionum anno **Sabrinam** transgressus. Eius nominis multo clariora vestigia quam supra Metapontinorum apud Valerium aut Mareotidis supersunt; nam ex brinam factum prima, tum ex na, quod restabat, nave. Agrippa in meridianam partem eius regionis, quam nunc Valisiam appellamus, intravit.[1])

(XXXIX) Apud Gellium XVII, 21, 17 et 18 hæc leguntur in editionibus: Hostes tunc populi Romani fuerant Fidenates. Itaque qui in hoc tempore nobiles celebresque erant, — Sophocles ac deinde Euripides tragici poetæ et Hippocrates medicus et philosophus Democritus, — Socrates Atheniensis natu quidem posterior fuit, sed quibusdam temporibus iisdem vixerunt. Totum locum descripsi,

[1]) Ann. III, 68, ubi doleo Nipperdeium facili delendi, quæ nemo additurus fuit, auxilio usum, subesse nomen proprium matris Silani, multi viderunt; id nomen ad litteras alia prope accedere debet, deinde eiusmodi feminæ esse, cuius ob genus et cognationem principis singularis ratio habenda fuerit. Utrique condicioni unum satisfacit plenissime Atia (Atia parente geniti).

ut appareret, quam mirabili ineptoque interpungendi artificio vir perdoctus, sed iudicii in re critica interdum parum liberi et firmi, M. Hertzius, pronomen qui (quod alii simpliciter eiiciunt) tueri conatus esset (qui . . . nobiles erant . . ., Socrates . . . fuit). Sed manet ultra fidem perversa argumenti conclusi significatio in itaque. Gellius scripserat: Hostes tunc populi Romani **fuerunt** Fidenates **Æquique**. In hoc tempore nobiles celebresque erant Sophocles . . . Democritus . . . Socrates cet. Plusquamperfectum neque per se neque inter perfecta, quæ præcedunt et sequuntur, ferri poterat.

(XL) Apud poetas versus latere vetat hoc mendorum genus, nisi ubi pro nomine proprio appellativum eiusdem prorsus mensuræ substitui potuit. Id factum est memorabili exemplo apud Statium Silv. II, 6, 64, ubi Flavium Ursum calamitates, si quæ prædiis fructibusque eius incidissent, fortiter laturum fuisse ita affirmat, ut simul possessiones per omnes Italiæ partes et per provincias late sparsas adulatorie persequatur:

O, quam divitiis censuque exutus opimo
Fortior, Urse, fores; si vel fumante ruina
Ructassent[1]) dites Vesuvina incendia Locros
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus,
Seu Lucanus ager seu Thybridis impetus altas
In dextrum torsisset aquas, paterere serena
Fronte deos.

Vesuvii incendia et flumina exundantia quid in agris vicinis efficiant, intellego; quid ager Lucanus nocere ipse aliis possit, prorsus non intellego ac ne id quidem video, utrum ager mergere saltus (ut coniungatur cum superioribus) an, ut Tiberis, torquere aquas suas dicatur; tertium nihil esse

[1]) Hoc verum esse nequit. Vesuvius flammas ructat, non urbes. Vastassent vulgare est pro Statii ingenio et longius discedit. Opinor scriptum fuisse raptassent.

video. Nugæ hæ meræ sunt de agro Lucano. Statius hic quoque flumen agris timendum nominaverat:

Seu Lucanus Acir seu Thybridis impetus cet.

Acirim Lucaniæ fluvium inter Sirim et Metapontum Strabo et Plinius nominant; eum Statius, omissa terminatione Græca sive malumus Latina, vulgari forma appellavit aut Acris fecit.

Dixi supra, etsi multo facilius pro nominibus propriis appellativa substituantur, hoc est, pro minus notis et non exspectatis communia et trita, quam contra, esse tamen, ubi in appellativorum locum errore subrepserit propriorum species. Id suspicor accidisse in (XLI) Plutarchi Aristide c. 25, ubi editur: *Καὶ γὰρ τὰ χρήματά φησιν (Θεόφραστος) ἐκ Δήλου βουλευομένων Ἀθήναζε κομίσαι παρὰ τὰς συνθήκας καὶ Σαμίων εἰσηγουμένων εἰπεῖν ἐκεῖνον (Ἀριστείδην), ὡς οὐ δίκαιον μὲν, συμφέρον δὲ τοῦτ' ἐστίν.* Nam Samios, quos non multis annis post acres libertatis suæ defensores exstitisse novimus, neque omnino huius consilii adiutores fuisse probabile est neque id Athenis ad deliberandum proposuisse (*εἰσηγεῖσθαι*)[1]; neque ulla ceteris locis (Plut. Pericl. c. 12, Diodor. Sic. XII, 38, Iustin. III, 6) Samiorum mentio fit. Multo mihi hæc res cum *Ἑλληνοταμίαις* coniunctior videtur; itaque valde vereor, ne Plutarchus scripserit *καὶ τῶν ταμιῶν εἰσηγουμένων.*

(XLII) Sed ut hoc incertum sit, prorsus certum est in vita Arati c. 16 Plutarchum non scripsisse, quod editur e codicibus: *ὁ δὲ Ἀκροκόρινθος, ὑψηλὸν ὄρος, ἐκ μέσης ἀναπεφυκὼς τῆς Ἑλλάδος.* Nam neque ad rem, de qua agitur (claustra Peloponnesi Acrocorinthum esse) pertinet, in media Græcia eum esse, neque id ita fuisse Græcorum opinione usquam significatur, et totum hoc ex media Græcia Acrocorinthum se extollere, sic dicitur, quasi in reliqua Græcia plana aut non multo secus hic supra cetera eminuerit mons.

[1]) Legi, quæ Curtius scripsit in hist. Græciæ II p. 139.

Atqui undique Græciam longe maiores altioresque montes obtinebant. Id ad rem pertinet verumque est et apte dicitur, ex omnibus circa planis arduum hunc et undique præruptum collem surgere, quod sic Plutarchus dixerat: *ὑψηλὸν ὄρος ἐκ μέσης ἀναπεφυκὸς τῆς πεδιάδος*. Nam necessario coniungenda sunt *ὄρος ἀναπεφυκός*[1]).

(XLIII) In eiusdem Plutarchi vita Cleomenis c. 7 Cleomenes dicitur expeditione suscepta *Ἠραίαν καὶ Ἀλσαίαν τὰς πόλεις ταττομένας ὑπὸ τοῖς Ἀχαίοις ἑλεῖν*. Alsææ nomen neque legitur usquam et satis peregrinum sonat; sed hoc ferri debet, non potest ferri articulus per se ineptus et pravissimus verborum ordo (*τὰς πόλεις ταττομένας*). Scripserat Plutarchus: *Ἠραίαν καὶ ἄλλας τινὰς πόλεις ταττομένας ὑπὸ τοῖς Ἀχαίοις εἶλεν* aut *ἄλλας ἐνίας πόλεις*. Sic recte noto maioris oppidi nomini subiicitur in ceteris generis significatio.

(XLIV) Apud eundem Plutarchum de curiosit. c. 1 (p. 515) ignoti poetæ hic versus ponitur:

Ὅσσον ὕδωρ καὶ Ἀλίζονος ἢ δρυὸς ἀμφὶ πέτηλα, τοσοῦτον πλῆθος εὑρήσεις ἁμαρτημάτων ἐν τῷ βίῳ κ. τ. λ.

Fluvii nomen inauditum esse, ferre debemus; id ferre non debemus, hunc tam obscurum poni tanquam omnium ditissimum aquæ (etsi hæc ipsa laus copiæ aquarum mira est); ne id quidem tolerabile est *κατ' Ἀλίζονος* dici pro *ἐν Ἀλίζονι* aut *κατ' Ἀλίζονα*, nec Græcum: (*ὅσα*) *πέτηλα ἀμφὶ δρυός*. Nimirum conflatum fluminis nomen totum est ex duabus vocibus veraque versus forma hæc fuit: *Ὅσσος ὕδωρ κάθ' ἁλὸς στόνος ἢ δρυὸς ἀμφὶ πέτηλα*, quantus est fragor per aquas maris et circa folia quercus.

(XLV) In Luciani navigio c. 20 Adimantus ridicule fingit se, thesauro invento, omnia iam ultra modum magna et splendida coemisse: *Εὐθὺς οὖν κατὰ τὸν Ἡσίοδον*

[1]) Ann. philol. Danic. V p. 16 et 158.

οἶκος τὸ πρῶτον, ὡς ἂν ἐπισημότατα οἰκοίην, καὶ τὰ περὶ τὸ ἄστυ πάντα ὠνησάμην ἤδη πλὴν ὅσα Ἰσθμοῖ καὶ Πυθοῖ, καὶ ἐν Ἐλευσῖνι ὅσα ἐπὶ θαλάττῃ καὶ περὶ τὸν Ἰσθμὸν ὀλίγα τῶν ἀγώνων ἕνεκα, εἴ ποτε δὴ τὰ Ἴσθμια ἐπιδημιήσαιμι, καὶ τὸ Σικυώνιον πεδίον κ. τ. λ. Mire ex Atticis possessionibus excipiuntur Isthmicæ et Pythicæ, quæ Atticæ non sunt, nec minus mire hic Isthmia et Delphica ante Eleusinia, quæ in Attica sunt, nominantur, tum iterum Isthmia. Codices (Marcianus et alii) pro Πυθοῖ habent λίθοι, rectissime; nam omnia circa urbem coemit homo subito fortunæ rivo inauratus exceptis desertis et infructuosis (tesquis et saxis), quæ contemnit et aliis relinquit. Itaque in Ἰσθμοῖ latet, quod saxis respondet, αὐχμοί, ut sit: πλὴν ὅσα αὐχμοὶ καὶ λίθοι.

(XLVI) In Latinis idem accidisse, primum ostendat Turpilii exemplum, cuius e Philopatro comœdia hæc citantur apud Nonium p. 281:

Forte eo die
Meretrices ad me de lenitate Atticæ ut
Convenerant condixerantque cænam apud me
Thais atque Erotium, Antiphila, Pythias.

Scripserat poeta: **Meretrices ad me de vicinitate aliquæ Convenerant** cet. Ex qua urbe essent meretrices, quæ convenissent ad eam, quæ loqueretur, sane non opus erat dici, quoniam necessario ex eadem erant, in qua ipsa esset et loqueretur.

(XLVII) Seneca rhet. p. 319 (291) in præfatione libri X (olim V) controversiarum quæ de Scauri ingenio desidia corrupto dicit, his verbis concludit: Declamantem audivimus et novissime quidem M. Lepido ita ut, quod difficillimum erat, sibi displiceret. Neque ad rem pertinet, ubi Scaurus postremo declamaverit, neque homo senatorius in aliena et privata domo declamavit neque dativo ullus in ea re significanda locus est (pro eo quod est: apud M. Lepidum). Seneca scripserat: novissime

quidem **tepide** ita, ut . . . sibi displiceret. Etiam calorem, qui ante Scaurum adiuverat, Seneca defecisse significat. Prænomen Lepido accessit ex ultima præcedentis vocis littera. Teporem in oratione scriptor dialogi de oratoribus appellat c. 21, tepide dicere apud Augustinum est, translatione facili ab affectibus tepescentibus.

(XLVIII) Apud Velleium Paterculum I, 18, 1 neque dubitari potest neque dubitatum est, quin corruptum esset in Italia (quæ urbes in Italia talium studiorum fuere steriles); sed qui tollunt aut transponunt, neque mendi causam expediunt neque vident illo sublato aliquid ad sententiam deesse; nam cum Velleius proxime tantum de eloquentia dixerit ita una Atheniensium urbe clausa, ut nemo Argivus aut Thebanus aut Lacedæmonius orator nominetur, non recte talium studiorum mentio, si nihil additur, ad omnes litteras refertur; (rectum esset omnino talium st.). Velleius scripserat: quæ urbes et **in alia** talium studiorum fuere steriles, hoc est, etiam in reliqua genera, ad alia tentanda.

(XLIX) In copiosa et dilucida Asconii narratione de cæde Clodii rebusque cum ea coniunctis ad Ciceronis Milonianam p. 144 Hot. Q. Metellus Scipio inter alia dixisse dicitur, Milonem, cum sciret in Albano parvulum filium Clodii esse, venisse ad villam et, cum puer ante subtractus esset, ex servo Halicore quæstionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret; villicum et præterea duos servos iugulasse. Quæro, cur unius servuli nomen ponatur, villici et duorum reliquorum (ut par erat) omittatur; etiam, quid id ipsum sit nominis Halicor aut cui simile; postremo, cur ex hoc uno servo ac non ex ceteris maximeque ex villico quæsitum sit. Quæsitum scilicet ex eo est, ad quem proxime pueri cura pertineret: ex servo **alitore**, hoc est, qui puero alendo et curando præpositus erat; eum

probabile erat de alumno scire. In infante altor est, qui post pædagogus[1]).

(L) Cum nominibus propriis ita coniuncti sunt librorum tituli, etiam quadam errandi opportunitate, ut eorum obscuratorum aut non animadversorum tria exempla hic adiungere appendicis loco libeat. Eorum primum est in Plutarchi Demosthene c. 28, ubi sic editur: *Ἕρμιππος δὲ τὸν Ἀρχίαν ἐν τοῖς Λακρίτου τοῦ ῥήτορος μαθητὴν ἀναγράφει.* Quid vitii esset, interpolatores intellexerunt, quorum qui codicem C scripsit, in quo multiplex nec inscita correctio est, *ἐν τοῖς* sustulit, alii, quos Coraes secutus est, *μαθηταῖς* substituerunt. Plutarchus scripserat: *Ἕρμιππος δὲ τὸν Ἀρχίαν ἐν βίοις Λακρίτου τ. ῥ. μαθητὴν ἀναγράφει.* Notissimus est liber, qui et sine articulo (*ἐν βίοις*) citatur, et *ἐν τοῖς βίοις*, ut ter apud Diog. Laertium, (quemadmodum apud Athenæum Clearchus et *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν βίων* VI p. 234 F et similiter alibi, sed *ἐν δευτέρῳ βίων* IV p. 157 C, XV p. 681 C, *ἐν τετάρτῳ βίων* XII p. 514 D et ad eundem modum alibi). Alioquin facile erat pro *τοῖς* scribere *τοῖς βίοις*.

(LI) Apud Philostratum in vitis sophistarum I, 22, 2 sic scribendum est: *Διεξιὼν γὰρ (Διονύσιος ὁ Μιλήσιος) τὸν Δημοσθένην τὸν μετὰ Χαιρώνειαν προσάγοντα τῇ βουλῇ ἑαυτὸν* (prius hoc est declamationis thema, ab editoribus animadversum) *ἐς τήνδε τὴν μονῳδίαν τοῦ λόγου* (scr. *τὸν λόγον*) *ἐτελεύτησεν· „ὦ Χαιρώνεια πονηρὸν χωρίον καὶ πάλιν αὐτομολήσασα πρὸς τοὺς βαρβάρους Βοιωτία·* (et Bœotia iterum ad barbaros transgressa, ut ante fecisti bello Persico; vulgo *καὶ πάλιν* a verbis ficti Demosthenis separantur;) *στενάξατε οἱ κατὰ γῆς ἥρωες, ἐγγὺς Πλαταιῶν νενικήμεθα“, καὶ πάλιν ἐν τοῖς κρινομένοις ἐπὶ τῷ μισθοφορεῖν· „Ἀρκάσιν ἀγορὰ πολέμου πρόκειται καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων κακὰ τὴν Ἀρκαδίαν*

[1]) Ann. philol. Dan. V p. 23 et 160.

τρίφει, καὶ περιέρχεται πόλεμος αἰτίαν οὐκ ἔχων". (Alterum hoc est declamationis thema: οἱ χρινόμενοι ἐπὶ τῷ μισθοφορεῖν. Vulgo hæc cum verbis sequentibus continuantur, quasi omnia ex Demosthenica illa declamatione desumpta sint.)

(LII) Inter fragmenta Ciceronis librorum incertorum ponitur hoc e Nonio p. 225 (Bait et Halm. IV p. 1059, Bait. et Kays. XI p. 141): Præ negotiatoribus Achæis syngraphas, quas nostra voluntate conscripsimus. Nonius ex oratione pro negotiatoribus Achæis reliqua verba posuerat.

Cap. IV.

Probabilitatis criticæ in rebus grammaticis æstimandæ leges explicantur et certo exemplorum genere declarantur [1]).

Proprium quoddam est genus emendationum, quas grammaticas appellare licet, ad restituendam legitimam orationis structuram mendis vitiatam pertinens, in quo emendandi necessitas conficitur, cum comparatis rationibus, quæ ex sermonis usu et constantia ducuntur, et testimoniis exemplisque ponderatis demonstratur, non credi posse, a communi lege ita aberratum ab ipsis scriptoribus esse, quemadmodum in codicibus eorum aberretur. Eo demonstrato fere una et simplex aut certe non multiplex ostenditur menda ex communi errandi opportunitate orta corrigendi via; interdum tamen graviores et ex aliis causis orti errores grammatico vitio coarguuntur. Huius emendandi generis plures species in Latinis scriptoribus coniunctim tractavi; hoc loco speciem aliquam ad Græcos scriptores pertinentem placet universe tractare non tam singulorum

[1]) Grammaticas quæstiones hic eas solas attingo, quæ ad orationis struendæ leges pertinent (syntacticas). Nam de ipsis verborum formis et declinationibus (quas flexiones nunc vocant) aut omnino rectis aut apud quemque scriptorem probandis quærendi cautiones persequi a meo proposito alienum est.

locorum causa quam ut semel in apto et perspicuo exemplo exponam, quomodo in toto hoc genere et rationum e testimoniorum momenta exquirenda et ponderanda censeam. Sed ordiendum est a narrando.

Plus viginti sunt anni, cum in syntaxis Græcæ arte et alia quædam ad modorum et temporum verbi usum pertinentia certioribus et magis perspicuis, quam quæ vulgo traderentur, præceptis comprehendere conatus sum et aoristi infinitivus ubi præteriti significationem haberet, ubi non haberet, simplici apertoque fine discrevi (§ 172), primus, nisi fallor, certo præcepto rem complexus, in qua sensum quendam superiores secuti erant, Henricus quidem Stephanus eiusdemque ætatis alii rectius constantiusque quam recentiorum multi. Quæ ibi breviter posueram, notato tamen (§ 172 a not.) librariorum errore, quem veterum scriptorum editores non raro secuti essent, ea in libello, quem arti in Germania editæ comitem esse volui (Bemerkungen über einige Punkte der griechischen Wortfügungslehre, Gœttingæ 1848), uberius explicavi (p. 29 sqq.). Collecta enim dispositaque materia ostendi, in ipsa summa rei non ita multum, ut ipse dixi, ab Elmsleio (mus. crit. IV p. 475) discedens, sed quibusdam accuratius terminatis, in iis, quæ de aoristo infinitivi sine ἄν apud verba dicendi (minandi, promittendi, iurandi cet.) putandique (credendi, exspectandi cet.) significationem habentia pro futuro aut similiter posito traderentur (nam pro ipso futuro se accipere negant, qui subtiliores videri volunt), quanquam clarorum philologorum nomina inde ab Hemsterhusio ad Hermannum, Lobeckium, Kruegerum aures circumsonarent, quod quidem ad scriptores ante Byzantinam ætatem attineret, nihil esse nisi menda incuriose corrasa et opinionum commenta, omissis ipsis recte quærendi initiis, levissime iacta, et si quis indicia veri exquireret, perspicue apparere, segregatis e verborum locorumque confusa turba iis, quæ suam et propriam haberent regulam (ut ἐλπίς et cognatis, εἰκός

ἐστιν, χρώω), exemptisque paucis locis, qui recte scripti male intellegerentur, in ceteris, nisi quod in uno et altero aliud lateret mendum, aut futurum lenissima mutatione (δέξεσθαι pro δέξασθαι, ποιήσειν pro ποιῆσαι) restituendum esse aut ἄν non minus plerumque leni (ἥκιστ' ἄν, μάλιστ' ἄν) addendum, multosque locos aliorum meave emendatione correxi[1]). Sperabam effectum esse, ne quis paulo prudentior peritiorque ἔφη (ᾤετο) ποιῆσαι (ποιῆσαί τινα), ut esset: facturum se (aliquem) esse, aut etiam κακώσειν καὶ χειρώσασθαι edere auderet, tribus quattuorve locis similibus adscriptis appositave contortula et inani distinctione. Sed ea disputatio, exposita in libello iniquissimo tempore inter belli turbas edito, unum et alterum commovit (H. Sauppium in Platonis Protag. p. 316 C, G. Sauppium in Xenophonte, Steinium, ut opinor, in Herodoto ex aliqua parte, Kochium in Aristophanis nub. v. 35 et 1141); plerique Græcorum scriptorum editores eam aut ignorasse aut neglexisse videntur; nam aut tacite (ut Bekkerus in Homero, in Platone Hermannus) aut veterem cantilenam occinentes (quod maxime in Kruegero miror, nisi grammaticæ suæ auctoritatem, qua ceteri in hac re utuntur, deserere non in animum induxit) menda aut omnia aut pleraque tenuerunt; quidam, meo libello aut appellato aut significato, ea adscripserunt, ut nihil eos attendisse aut intellexisse appareat[2]); qui autem his proximis annis veriora

---

[1]) Non paucos locos notaverat Dobraeus, veri tenax, alios Schæferus et Bekkerus, sed inconstantius.

[2]) Rauchensteinius ad Lysiæ orat. XII, 19 ad defendendum ᾤοντο κτήσασθαι pro κτήσεσθαι positum, quod ego notaveram, me ipso utitur auctore, iis, quæ in syntaxi de ἐλπίς et cognatis scripseram, ad οἶμαι translatis, oblitus, quam diligenter illa a dicendi putandique verbis separavissem (Bemerk. p. 43); deinde in § 26, ubi οἴει δοῦναι pro δώσειν accipitur, correctionem vix necessariam esse, superiore illa notula demonstratum putat, in XIII, 53 negat certo affirmari. Quid id ad tempus?

tenuerunt, alium videntur auctorem secuti esse. Facta est enim his annis ad parendum in re parva veritati non parva progressio. Nam aliquot post illa a me scripta annis C. G. Cobetus, homo et ingeniosus in hoc genere ad inveniendum et Græce perdoctus, in variis lectionibus (1854, p. 98, 262, 269) ab eadem vera aoristi infinitivi cum illis verbis coniuncti significatione profectus, animadversa et declarata singulari nonnullorum locorum pravitate, ceterum tota re non plene exposita nec terminata (ita ut possent ei quædam cum veri specie opponi, ut aoristi cum εἰκός ἐστι usus), eandem, quam post Elmsleium et alios ego, duplicem corrigendi rationem iis scriptorum locis, in quibus aoristi infinitivus futuri vim habere putaretur, adhibendam pronuntiavit eosdemque magnam partem locos, quos ego notaveram, Thucydidis, Lysiæ, aliorum posuit, omissis sane iis aliorum locis, quorum difficilior erat correctio, ad idemque emendandi genus rediit in novis lectionibus (1858, p. 164, 365 sq., 405), nonnullis quidem locis iterum positis. Atque eius auctoritas, etsi habuit obtrectantem in hac quoque re Herbstium nec parentem Kruegerum, alios movisse videtur, primum quidem L. Dindorfium. Nam is non solum a. 1853, cum Xenophontis historiam Græcam Oxonii ederet, aoristum pro futuro (I, 6, 14: οὐκ ἔφη . . . οὐδένα Ἑλλήνων . . . ἀνδραποδισθῆναι) tenuit adscriptis defensionis causa uno Xenophontis, uno Plutarchi loco, sed etiam 1857, cum Cyropædiam ederet, restituit ille quidem in illo, quo ad Hellenica usus erat, loco futurum (τειχιοῦσθαι) e bonis codicibus (pro τειχίσασθαι), sed tamen aoristum ferri posse significavit, citata illa ad Hellenicorum locum annotatione et additis duobus Dionis Chrysostomi (vel potius Dionis et Sapphus) locis. Sed deinde totus commutatus et in Xenophontis scriptis et in Diodori Siculi et in Dionis Chrysostomi (Polybium et si quos alios postea edidit, non pervolutavi) ubique aut post alios aut primus verum secutus est, saltem ubi futuro restituto (ε pro α et ειν pro αι) ab-

solvi res poterat; nam ubi ἄν addendum erat. addidit interdum, ut in Xenophontis Hellenicorum loco (*οὐδέν' ἂν Ἑλλήνων . . . ἀνδραποδισθῆναι*), alibi omisit, ut apud Diodorum Siculum XV, 51 (*ὑπελάμβανον αὐτοὺς ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν Σπαρτιατῶν καταπολεμηθῆναι*, id est, *καταπολεμηθῆναι ἄν*) et Dionem Chr. or. 74 (tom. II p. 397 R: *τοῖς φάσκουσι μήποτε καταλιπεῖν τὴν πρός σε φιλίαν*, id est, *μήποτ' ἄν*)[1]). Eandem viam ingressus est Sintenisius in Plutarchi scriptis (in edit. Teubneriana), in aliis scriptoribus alii; Gustavus quidem Sauppius (1865) ad Xenophontis anab. I, 2, 2, restituto recte *ὑποσχόμενος μὴ πρόσθεν παύσεσθαι* pro *παύσασθαι*, Futurum, inquit, vix unus liber habet, nunc quivis postulat. Itaque iam supervacaneum videri possit de hoc loco quærere et disserere. Sed primum, quod quemvis postulare Sauppius dicit, non postulat Bekkerus in Homero, Kruegerus et Classenius in Thucydide (ne Herbstium dicam) multum abest ut postulent, aliique in aliis, ipsique, qui *ποιήσειν* et *δέξεσθαι* pro *ποιῆσαι* et *δέξασθαι* reponunt, relinquunt aliquot locis infinitivos aoristi non minus vitiosos, sed festinantibus minus emendatu faciles, qui loci quamdiu intacti restant, res confecta non est neque effugia præclusa circumspectantibus, cum præsertim ipsa causa a Cobeto, quem fere sequuntur,

---

[1]) In uno Diodori libro XIV aoristos sustulit 41 (*χρήσασθαι*), 44 (*κατακτήσασθαι* coniunctum cum *αὐξήσειν*), 61 (*δωρήσασθαι . . . ποιήσασθαι*), 95 (*δωρήσασθαι*), 98 (*συγκατακτήσασθαι*), 110 (*ποιήσασθαι*), et post *ἐλπίζω* verbum (cur hoc seorsum ponam, post apparebit) 13 (*πεῖσαι*), 56 (*ἐπισχεῖν* coniunctum cum *ἐμφράξειν*, recte factum *ἐπισχήσειν*), 57 (*διανήξασθαι*). Incuria relictum est XV, 8 *ἔφησε συγχωρῆσαι* pro *συγχωρήσειν*. Nam XVI, 55, ubi editur: *διεβεβαιώσατο πᾶν, ὅ, τι ἂν αἰτήσῃ, χαρίσασθαι* fortasse incerta visa est correctio, quoniam potentialis orationis forma (*πᾶν ἂν . . . χαρίσασθαι*) parum apta videtur; mihi Diodorus *χαρίσεσθαι* pro *χαριεῖσθαι* non refugisse videtur.

non ita argumentis expositis peracta sit, ut et corrigendi necessitas manifesta sit et frequentia, quæ videtur deterrere posse, quam inanis sit, appareat. Vereor etiam, ut ipsi illi, qui de summa re recte sentiunt, omnes corrigendi necessitatem et veniam recte terminent, ut χράω, εἰκός ἐστι, alia et excludantur et, cur excludantur, intellegatur. Sauppius ipse excepit, quod excipiendum non erat, ἐλπίζω δέξασθαι (anab. VI, 5, 17). Est autem necessarium huiusmodi errores et dubitationes prorsus, vero perspecto, tolli; nam neque aliter in ipsa grammatica breviter et perspicue et ad scriptorum intellegentiam apte præcipi potest neque in re critica ex grammatica pravitate indicia certa ad alia coarguenda menda duci. Itaque repetitis plerisque auctisque, quæ in illo libello a paucissimis lecto adumbrata sunt, aliis autem omissis, totum hunc locum eo, quo initio dixi, consilio et modo pertractare decrevi.

(1) Primum igitur, cum quæritur de forma aliqua loquendi singulari et dubia, eius quæstionis initium ducendum est a recta et perspicua communis et legitimi et certi usus cognitione et definitione et ad eam stabiliendam advocanda, quæ proxime cum eo usu cohærent. Nam sic demum intellegetur, quantum declinet ille, de quo dubitatur, usus, num quam habuerit nascendi occasionem et in sermone opportunitatem, utrum facile an difficulter nec sine præcipiti, ut ita dicam, saltu ad eum deveniri potuerit; hæc autem omnia ad probabilitatem æstimandam magnopere pertinent. Itaque ut olim (ad Cic. de fin. I, 10 p. 26 ed. II) eos reprehendi, qui ad indicativi pro coniunctivo usum in formis quibusdam sententiarum defendendum certæ et incertæ rei distinctionem advocarent, quod nulla minima in coniunctivo (in sententiis pendentibus) esset incerti significatio, sed tantummodo cuiusdam sententiarum cohærentiæ, sic etiam inconsideratius facere censeo, qui, cum quærant φημὶ (ὁμολογῶ, ὄμνυμι, cet.) aut οἶμαι ποιῆσαι possitne significare, dico aut puto fac-

turum esse, non prius constituant, quid soleat hæc coniunctio certo et legitimo usu significare. Nam qui unum quemvis librum Græcum legit, ei notum esse debet, se quavis pagina, interdum quidem ter quaterve, et ipsum φημὶ (οἶμαι) ποιῆσαι interpretari dico (puto) me fecisse et, si magister est, a discipulis postulare, ut sic interpretentur, nec unquam in hac coniunctione aoristum, deposita certi temporis significatione, pro præsenti actionis, ut ita dicam, momentaneæ indice poni, quemadmodum βούλομαι ποιεῖν et ποιῆσαι dicatur; deinde, si ποιῆσαί φημι (οἶμαι) in aliam etiam transferatur significationem, nullam relinqui formam, qua Græci in hac verborum coniunctione præteritum tempus universe certo et perspicue notent; (nam πεποιηκέναι propriam quandam habet significationem;) postremo in infinita oratione apud huiusmodi verba hæc tria ποιῆσαι, ποιῆσαι ἄν, ποιήσειν respondere ad amussim his in recta oratione, ἐποίησα, ποιήσαιμι ἄν, ποιήσω, (ποιῆσαι ἄν etiam recto ἐποίησα ἄν,) ut, si ποιῆσαι certum locum amittat, in obliqua sententia certo reddi non possit rectæ orationis significatio neque, translato in alium locum ποιῆσαι, ut pro futuro dicatur, ulla tamen nasci possit nova significatio, quæ ullam rectæ orationis inclinationem adumbret. Itaque perridiculi sunt (neque enim mitiore vocabulo de iis uti possum, qui admoniti et sæpius admoniti has nobis nugas occinunt) et qui ideo ποιῆσαι apud φημί et οἶμαι in futuri significationem transferri posse narrant, quod aoristus infinitivi nullam certi temporis significationem habeat, et qui mira quædam et subtilia se repperisse putant, quæ assequantur Græci, si ποιῆσαι ἔφη aut ᾤετο pro ποιήσειν dixerint; nam ipse, cuius oratio sic redditur, non poterat nisi aut ποιήσω aut ποιήσαιμι ἄν dicere.[1]) In hac autem tam aperta et facili et apta

[1]) Poteram multa mirifica proferre, si aut Hermanni aut, ut minores nominem, Baumleinii, Herbstii, aliorum disputata nunc evolvere otium et animus esset; sed tria, quæ mihi hæc scri-

trium distinctione (*ποιῆσαι, ποιήσειν, ποιῆσαι ἄν*) quomodo aberrari quave de causa potuerit unum membrum certam sedem amittere, omnino non intellegitur. Hæc qui consideraverit, ei per se summopere improbabile videbitur, *φημὶ* (*οἶμαι*) *ποιῆσαι* unquam in illam, quam quidam putant, significationem transisse, idque ut credatur, inexpugnabilem vim certissimorum testimoniorum dari postulabit. Atque eo magis hoc faciet, cum ei in mentem venerit,

benti et veterum locos inspicienti in commentariis se obtulerunt et quæ breviter absolvi possunt, exempla ponam. Ad Aristophanis nub. 35, ubi Kockius, meo nomine appellato, errorem (*ἐνεχυράσασθαί φασιν* de pignerationem minitantibus) correxerat, Teuffelius aoristum adscribit actionem simplicem et per se sine temporis nota significare, ut si Germanice dicas: „sie sagen, sie pfänden aus"; deinde, ut nunc in hac re fieri adsolet, Kruegeri grammatica appellatur. Omitto neque Teuffelium neque quemquam de minitantibus sic Germanice loqui; sed ubi Teuffelius legit *φημὶ ποιῆσαι*, ut esset, quod vult, dico me facere? Hoc enim ne illi quidem, qui pro *φημὶ ποιήσειν* dici posse putant, tradunt (quanquam memini Stallbaumium alicubi in Platone in prava scriptura enarranda sic vertere). Ad Sophoclis Electram 443, ubi *δοκεῖ . . . δέξασθαι νέκυς* volunt esse mortuum accepturum esse, Schneidewinus negat, assentiente Nauckio, *δέξεσθαι* recte dici potuisse, quod id (Germanicis verbis utendum est, ne quid corrupisse vertendo videar) „auf ein bevorstehendes *δέχεσθαι* bestimmt weiset". Ergo ubi aliquid futurum negamus credique futurum esse vetamus, non debemus futuri significatione uti. Quid ergo? Dicemusne ominis causa, non factum? Classenius ad Thucyd. II, 3, 2 ad *κρατῆσαι* de re futura positum confirmandum illud quoque adscribit, sic etiam cum *ἄν* poni aoristum. Quid est omnia confundere, si hoc non est, ex eo, quod fiat in *ποιῆσαι ἄν* (= *ποιήσαιμι ἄν*), efficere, quid fiat in *ποιῆσαι* (= *ἐποίησα*)? (Gravi errore ibidem Thuc. V, 1, 1 citatur, ubi *ποιῆσαι* satis apertam præteriti significationem habet.) Ægerrime fero in hominibus nec indoctis nec, si cogitandi spatium et libertatem sumerent, imprudentibus, hanc fingendi et quicquid sub acumen stili venerit, scribendi temeritatem.

quam sæpe ex adverso contraria in eadem sententia apud hæc verba ponantur aoristus et futurum infinitivi, velut apud unum Thucydidem et alibi et his locis: IV, 83: *Περδίκκας οὔτε δικαστὴν ἔφη Βρασίδαν τῶν σφετέρων διαφορῶν ἀγαγεῖν . . . ἀδικήσειν τε, εἰ* (neque se sumpsisse .. et iniuriam illum facturum), et IV, 98: *οὔτε ἀδικῆσαι ἔφασαν οὐδὲν οὔτε τοῦ λοιποῦ ἑκόντες βλάψειν*, et V, 30: *πρόσχημα ποιούμενοι τοὺς ἐπὶ Θρᾴκης μὴ προδώσειν· ὀμόσαι γὰρ αὐτοῖς ὅρκους.* (Add. IV, 63: *ᾠήθημεν πράξειν . . . νομίσαντες εἰρχθῆναι*, et IV, 114: *οὐδὲ γὰρ . . . δρᾶσαι . . . οἴεσθαι τεύξεσθαι.*) Cui enim non ultra fidem mirabile videbitur, in eodem sermone, apud eundem scriptorem illud *οὔτε ἀδικῆσαι ἔφασαν* posse etiam significare: neque iniuriam se facturos dicebant? At nunc non hoc solum iubemur credere, sed etiam aoristum illum futuri significatione cum ipso futuro aut copulative aut in partiendo, ubi certissime idem prorsus tempus intellegitur, ut nulla minima significationis inclinatio in aoristo esse possit, coniungi. Sic enim et alii et Poppo et Kruegerus et (quousque processit) Classenius scribunt, acriter contra Cobetum (meque, si novisset) defendente Herbstio, III, 46 (*Τίνα οἴεσθε ἥντινα πόλιν οὐκ ἄμεινον ἢ νῦν παρασκευάσασθαι πολιορκίᾳ τε παρατενεῖσθαι ἐς τοὔσχατον*) et IV, 28 (*λογιζομένοις δυοῖν ἀγαθοῖν τοῦ ἑτέρου τεύξεσθαι, ἢ Κλέωνος ἀπαλλαγήσεσθαι . . . ἢ Λακεδαιμονίους σφίσι χειρώσασθαι*, ubi etiam communi futuro *τεύξεσθαι* hæc duo partitionis membra subiiciuntur *ἀπαλλαγήσεσθαι . . . χειρώσασθαι*) et IV, 52 (*τήν τε Λέσβον κακώσειν καὶ τὰ ἐν τῇ ἠπείρῳ Αἰολικὰ πολίσματα χειρώσασθαι*) et VI, 24, 3 (*οἴεσθαι . . . καὶ προσκτήσασθαι*) et VIII, 5, 5 (*ἐνόμιζε κομιεῖσθαι . . . καὶ ἅμα . . . ποιήσειν καὶ . . . ἢ ζῶντα ἄξειν ἢ ἀποκτεῖναι*), ut prorsus mirari subeat, cur IV, 21 non tenuerint *δέξασθαι καὶ τοὺς ἄνδρας ἀποδώσειν*. Cetera quidem ipsi colligunt (Poppo et post eum

Kruegerus ad III, 46, advocato etiam Pflugkio, qui in Euripidis Helena v. 278 defendebat hanc scripturam: *πόσιν ποθ' ἥξειν καί μ' ἀπαλλάξαι κακῶν*) ac neque illud animadvertunt hæc, quæ incredibilia sunt, etiam ceteris fidem detrahere, neque quam manifestum fraudis indicium in ipsis verbis insit, de quo statim dicam. Nam locos tantum corradunt, de sermonis natura ac testimoniorum habitu ac forma æque incuriosi; illud addo, eos, qui hæc sic a Græcis confusa et perturbata narrant, nihilo minus Græci sermonis subtilitatem in hoc ipso admirari.

(2) In ipsis testimoniis in tali re etiamsi nihil præter numerum spectes, tamen non simpliciter ea numeranda sunt, sed cum comparatione (quod nunc relative fieri dicimus); nam non solum, quam difficilis res ad credendum sit, ratio habenda est, sed multo maxime, quam sæpe, si certo aliquo modo loqui licuisset, sic loquendi occasio fuerit et quanta sit contrariorum consuetæ formæ exemplorum copia. Nam interdum decem aut etiam quinque exempla multa sunt in forma loquendi non mirabili nec permagno numero exemplorum contrariorum, quod omnino utriusque formæ usurpandæ rara fuit occasio. Sed cum quæritur, qua infinitivi forma Græci ad rem futuram significandam apud dicendi putandique verba usi sint, quinquaginta aut centum exempla ex omni genere et ætate scriptorum collecta, etiamsi ipsa codicum discrepantia aperte incerta spernantur, quod non fit, tamen, si nihil habent proprii firmamenti (de quo mox dicam), non multa sunt, quod aliquot locorum millibus apud eos scriptores, ex quibus collecta sunt, huiusmodi verba cum infinitivo et de re præterita et de futura coniunguntur et quod omnibus partibus plura sunt illa exempla, in quibus in tali coniunctione *ποιῆσαι* pro præterito est, de re futura *ποιήσειν* aut potentialiter et dubitative *ποιῆσαι ἄν* scribitur. Hæc tota comparatio qualis sit, significavi olim unius et alterius libri exemplo, velut in Lysiæ oratione XIII bis (15 et 47) in codicibus, qui omnes

recentes sunt et auctoritate carent, scribitur *οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι* (idem verbum) in futuri significatione, sed ter (21, 23, 25) *ἔφη* cum futuro infinitivi ponitur (accedente, ut statim dicam, singulari firmamento), semel (21) cum aoristo et *ἄν*, aoristus autem ipse quater (52, 70, 75, 76) pro præterito; in eiusdem autem Lysiæ primis decem orationibus aoristus infinitivi apud *φημί*, *νομίζω* similiaque verba pro præterito fere quinquies decies legitur, futurum septies (in una oratione secunda), aoristus cum *ἄν* modo potentiali (— nam *ποιῆσαι ἄν* condicionale pro *ἐποίησα ἄν* ad hanc rem nihil pertinet —) semel (VII, 34); aoristi sine *ἄν* de re futura positi nullum est exemplum. (Locos, qui volent, facile ipsi volutando reperient.) Apud Thucydidem e libro primo unum olim proferebatur exemplum aoristi illo modo positi ex c. 26; post Bekkerum e codicibus omnes *χρήσεσθαι* edunt; (aoristum apud *εἰκός* de eo, quod probabile sit futurum, I, 81 positum huic causæ totum infra eximam;) de re præterita aoristus apud dicendi putandique verba, si recte numeravi, vicies semel ponitur, de re futura futurum septies decies, bis (70, 72) aoristus cum *ἄν*. Eadem aut fere eadem ubique ratio est; nam ut ex alio Thucydidis libro tria quatuorve aoristi vitiosi exempla proferantur, apparet, ad universam rem nihil mutari; nec aliter se res in reliquis scriptoribus habet[1]).

(3) Non satis est, in testimoniis, quæ in re dubia proferuntur, codicum scripturam non variare, sed videndum est etiam, e cuiusmodi codicibus proferantur. Nemo enim ignorat, in aliis nos veterum scriptis bonis et antiquis codicibus uti, ut orationis formæ ex iis constitutæ fides haberi possit, aliorum nullos superesse codices nisi recentes et minoris aut plane exiguæ auctoritatis. Itaque quod ante

---

[1]) Si cui multa videntur loci, quos supra a L. Dindorfio nunc in uno Diodori libro XIV mutatos dixi, is numeret in eodem libro ceteros eiusdem generis; videbit, quot partibus plures sint.